IO. MELCHIOR. VERDRIES,
D. MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSOR.
PVBL. ORDINAR. ACADEM. CAESAREAE LEOPOLDINO-CAROLINAE NATVRAE CVRIOS. COLLEGAE,

DE AEQVILIBRIO MENTIS & CORPORIS

COMMENTATIO,

QVA

HARMONIA, CONCORDIA ET DISCORDIA VTRIVSQVE HOMINIS SVBSTANTIAE, STATVS HOMINIS SANI ET MORBOSI, TEMPERAMENTA ET EX HIS PROVENIENTES ANIMAE INCLINATIONES, IMAGINATIONIS, NEC NON AFFECTVVM IN CORPVS HVMANVM VIRES, EX GENVINIS PRINCIPIIS, DECLARANTVR, ET AD EXPERIENTIAE AC RATIONIS LEGES EXPENDVNTVR.

DENVO RECOGNITA ET MAXIMA PARTE AVCTA.

ACCEDIT

DISQVISITIO

DE

VENENO CANIS & ANIMALIVM RABIDORVM,

ET,

QVEM ILLVD INFERRE SOLET,

MORBO GRAVISSIMO,

HYDROPHOBIA.

GIESSAE ET FRANCOFVRTI,
APVD IOANNEM MVLLERVM, A. cIↄ Iↄ cc XXVI.

Plato, apud Suidam in ὑπωπιάζω.

Ἐπιμελεῖσθαι δεῖ σώματος καὶ ψυχῆς, εἵνεκα ἁρμονίας, δι᾽ ἧς βιοῦν τε ἔστι καὶ ὀρθῶς βιοῦν.

Cura eſt gerenda corporis æque ac animi, harmoniæ inter utrumque conſervandæ cauſſa; quum per eam & vivere, & recte vivere liceat.

PRAEFATIO.



Æquilibrium utriusque hominis ſubſtantiæ, iam ante decennium & quod excurrit ſaniorum Phyſicæ inprimis & Medicinæ cultorum penſitationi exhibitum, poſtea acceſſionibus auctum & illuſtratum, nunc denuo recognitum, emendatum maximaque parte locupletatum æqua rectæ rationis libra expendendum Tibi ſiſto, Benevole Lector : *argumentum inſigni utilitatis fructu fœcundiſſimum : quod tum ad moralem felicitatem per* τὸ γνῶθι σεαυτὸν, *tum ad veræ humanitatis pariter ac ſanitatis culturam, tutelam & inſtaurationem viam ſternit : & hinc in Medicina mentis & corporis, in morali æque Philoſophia ac Medicinæ ſtudio primum & potiſſimum eſt, ad quod ingenui cultores ſolicitius attendunt. Abſolvitur nempe illud* ſcientia noſtri : *cui, quo magis noſtra intereſt, eo incumbendum diligentius. Hæc enim ſcientia, verbis illuſtris* Verulamii, de Augm. Scient. L. III. C. I. *homini pro fine eſt ſcientiarum ; licet* Naturæ ipſius *tantum* portio *ſit.*

Quid eſt, quod omnibus gratius atque optatius poſſit eſſe, quam mens ſana in corpore ſano. Iſta vero exoptatiſſima hominis ſanitas mutua illa actionum utriusque ſubſtantiæ & concordi conſpiratione, harmonia & æquilibrio continetur, quo recte ſe habente, tum in corpore, æquo cauſarum corporearum libramento, certo tempore, impetu, impulſu motuque mutuo, cuncta ſe trudunt, ſiſtunt, impediunt, expediunt, omniumque actionum liberum exercitium conſervatur ; tum in anima, ſerena & placida tranquillitate, perceptiones ſive repræſentationes diſtinctæ ſe ſiſtunt, judicatio & ratiocinatio expedite abſolvuntur, appetitus rationi parent, omnesque mentis actiones iuſto ordine & modo ita procedunt, ut

ſerenitas ipſius eniteſcat, vis, vividus vigor & præſtantia exſurgat, atque hinc diſcuſſis, quantum per concretam labem licet, nebulis, homo recte ſentire & quodvis cogitatione depingere, mente complecti, feliciter ſapere, in ardua veritatis via alacriter progredi, ſui ipſius, mentis & corporis, curam habere, in veræ virtutis & ſanitatis exercitio recte procedere, ad verum finem, ad quem natus eſt, agnitionem cultumque Dei, aſcendere, & accedente dein divina gratia ad ſpem altiorem ſe erigere, ad omnem virtutem ſe componere atque præſtantiam & dignitatem ſuam tueri poſſit. Ex quo non ſolum utilitas & neceſſitas notitiæ ſui ipſius, ſed & quid ſit noſſe ſe, & quomodo hæc notitia fructuoſa fieri & valetudo iſta conſervari poſſit, haud difficulter perſpicitur. Nempe homo non corpore tantum, quod digito monſtrari poteſt, ſed potiſſimum mente conſtat cum illo conſociata, ita quidem, ut binæ hæ diverſiſſimæ naturæ ſubſtantiæ mutuo & admirando commercio in actionibus ſuis conſpirent & perpetuo conſortio bona & mala inter ſe communicent. Hinc ad notitiam ſui non ſufficit corporis ſui admirandam fabricam tacitosque fluidorum vitalium per viſcera motus noſſe, ſed illud hic vel maximum eſt, animo ipſo animum videre & inprimis utriusque ſubſtantiæ commercium, experientia inprimis duce, attente perveſtigare. Ita enim ſimul integrum eſt homini perſpicere, ubi nudum periculisque expoſitum magis latus pateat, ubi infirmior & imbecillior ſit, ubi cauſæ nocentiores haud difficulter in hanc vel illam partem ſe poſſint inſinuare atque per latus unius alteri detrimentum inferre; eoque ipſo in remediis exquirendis & rationibus agitandis, quibus ſe communiat cauſasque nocivas utrinque avertat & amoliatur, initiis occurrat, pericula vitet atque valetudinem ſuam in tuto collocet, felicius verſabitur.

Hæc ſine dubio prima & potiſſima cauſa fuit, quamobrem doctrinam de fœdere ſive commercio, harmonia, conſpiratione corporis & animæ inprimis commendaverit laudatiſſimus Verulamius l. c. *qui eandem in duas partes diſtribui poſſe exiſtimavit. Quemadmodum enim inter fœderatos intercedunt & mutua rerum ſuarum communicatio, & mutua officia; ſic fœdus iſtud animæ & corporis duabus ſimiliter rebus contineri*

neri tradit. Nimirum hic perquirendum; quomodo binæ istæ substantiæ (anima & corpus) (1.) *se invicem detegant, & quomodo* (2.) *in se invicem agant, aut potius in actionibus suis conspirent. Adeoque binas istas partes esse* Notitiam *sive* Indicationem : *&* Impreſſionem. *Harum priorem, ubi scil.* ex habitu corporis de ſtatu animæ ; *aut* ex ſtatu animæ de corporis conſtitutione *iudicium ferre licet, duas nobis peperiſſe artes, utramque prædictionis ; inquiſitionibus* Ariſtotelis *alteram, alteram* Hippocratis *decoratam. Quanquam enim artes hæ, poſterioribus temporibus ſuperſtitioſis & vanis mixturis fuerint contaminatæ : repurgatas tamen & in integrum reſtitutas fundamentum habere in natura ſolidum, & fructum edere ad vitam communem utilem veritate haud in vita affirmat. Prima eſt* Phyſiognomia, *quæ per corporis lineamenta animi indicat propenſiones. Altera* ſomniorum naturalium interpretatio, *quæ corporis ſtatum & diſpoſitionem ex animi agitationibus detegit. In prima quædam ſe deſiderare non diſſimulat. Ariſtotelem enim ingenioſe corporis fabricam hic tractaſſe dum quieſcit: eiusdem vero motus, ſive geſtus corporis, omiſiſſe, qui tamen non minus artis obſervationibus ſubiiciantur & maioris ſint uſus. Lineamenta corporis animi inclinationes & propenſiones generales oſtendere, oris autem & partium motus & geſtus inſuper aditus & tempora & præſentis diſpoſitionis & voluntatis ſigna declarare.* Linguam enim, *verbis magni Regis ſui,* aures ferire, geſtus vero oculos alloqui. *Hæc ut veriſſima ſunt, ita per experientiam clarius eadem oſtendere allaborat. Poſteriorem partem doctrinæ huius fœderis, quam* Impreſſionem *vocat, conſiderare* (1.) Quomodo & quouſque humores & temperamentum corporis immutent animam in eamque agant. (2.) Quomodo & quouſque *ſic dictæ* paſſiones vel apprehenſiones animæ immutent corpus & in illud agant. *Prius in re medica tractari dicit, atque miris etiam modis religionibus ſe inſeruiſſe : quando diætæ & delectus ciborum & potuum & ablutiones & aliæ circa corpus obſervantiæ in ſecta Pythagoræorum, & in hæreſi Manichæorum & in lege Mahometi omnem modum ſuperent : Ordinationes quoque Legis cæremonialis* ſanguinis *&*

 adipis

adipis *esum prohibentes*, *ac* animalia munda *ab* immundis *distinguentes (quatenus ad cibi usum) & plurima sint & præcisa. Imo Christianam fidem ipsam, (quamvis a cæremoniarum nube liberatam & serenam,) usum tamen retinere ieiuniorum, abstinentiarum &c. tanquam rerum non mere ritualium sed & fructuosarum. Atqui radicem omnium huiusmodi præceptionum, præter ipsam cæremoniam & exercitium obedientiæ, in hac re consistere, de qua loquimur: nimirum quod anima compatiatur corpori. Posterius, quod anima & affectus in corpus agant, in Medicina quoque locum invenire. Neminem enim Medicum esse paulo prudentiorem quin affectus animi, ut rem maximi ad sanationes suas momenti, quæque omnia alia remedia plurimum vel adjuvet vel impediat, consideret & tractet. Hæc illustr. Angliæ Cancellarius, nec sine gravi ratione.*

Quantum enim ad hoc posterius speciatim attinet, illud in aperto est: sanitatis leges morborumque ætiologias ingenue investiganti id potissimum negotii datum esse, ut motuum, quibus vita constat ratio, conditiones, affectiones, vires & mensuram, quas scire datum est, sagaci scrutinio indaget illorumque rationem ineat, ut quantum statui naturali sint convenientes, aut ab eodem declinent curatius observet & quid factu opus sit ad illos prudentis animi consilio tuendos, exsuscitandos, adiuvandos ac in ordinem redigendos promte perspiciat. Cumque motus illi non solum a causis corporeis proficiscantur, sed & anima, in illa consociatione & harmonia, agitationibus suis intercedat, illosque dirigat, alteret & partes solidas, nervosas præsertim afficiat, in consensum trahat, ut, pro mirifica illarum connexione & habitudine, corpus modo stringatur, modo laxetur & ita mutuus, inter solida & fluida corporis, ac proportionatus, ad sanitatis incolumitatem maxime requisitus nisus immutetur: & sic pro diverso animi statu corpus varia ratione disponatur; facile percipere licet quantum intersit, ut in causarum morbificarum investigatione etiam ad animam intentionem dirigat Medicus. Hic enim plurium morborum rationes inveniuntur, quæ frustra in corporis intemperie quæsiveris. Inde pronissima consequentia causæ cum modo agendi deducuntur, cur recte sese habente corporis temperie

perie affectus animi ad morbos ſæpe diſponant, ſæpe in eosdem, imo in mortem hominem præcipitent? cur feliciori curationi tantum aliquando obſiſtant, ut niſi Medicus ad illos intentos oculos habeat, nunquam ad optatum finem pervenire poſſit? cur imaginatio, nauſea imaginaria, terror, ira, in corpore bene quoad humores conſtituto, mirandos effectus exſerant, dolores inferant, appetitum proſternant, vomitus, diarrhœas cieant, toti corpori debilitatem inducant, ſpaſmos excitent? cur ſpina digito infixa, vulnuſculum in partibus nervoſis, in corpore cetera ſano, e veſtigio plerumque cum pulſu celeri & p. n. calore turbas concitet & omnium fere organorum vitalium actionem haud leviter concutiat? Vnde utilitas huius doctrinæ in vera Pathologia, a prudentiſſimis noſtrorum temporum Medicis enixius commendata & exculta, intelligitur, quæ non tantum in fluidis morborum cauſas inquirit, ſed, ſecundum veras Naturæ leges, in conſpiratione illa vitali utriusque hominis ſubſtantiæ, ſolidorum naturam, vim & poteſtatem in motibus vitalibus perſequitur &, verbis Clariſſimi Hecqueti, in Proloq. exquiſitiſſimi de Purganda Medicina opuſculi, ſub fibrarum textura naturæ potentiam intuetur, ſub illarum conſenſu eiusdem contemplatur induſtriam, fibrarumque conſonantias, affinitates, commercia revelat ac ſolidorum cum fluidis amicabile oſtendit æquilibrium, ac tot habet tutores & ſponſores, quotquot perſpicaciores habet *Geometria*, quotquot numerat oculatiores *Anatomia, quot habet & habuit* Medicina ſapientiores.

Et hæc inprimis cauſa fuit, cur argumentum hoc paulo intentius excutiendum ſumſerim & in medium prodire paſſus ſim. Cumque tenuis hæc opella, non tantum in Germania ſed & in Gallia aliisque exteris regionibus, præter ſpem & expectationem, virtutis & doctrinæ præſtantium virorum benigna iudicia fuerit experta, ita quidem, ut in celeberrimis Academiis non defuerint, qui ex illa multa ſe profeciſſe publice profeſſi ſint: atque Bibliopola, dum diſtractis exemplaribus recudere eandem vellet, recognoſcendam augendamque mihi offerret: facile eo adductus ſum, ut, quoad per alias occupationes & diſtractiones liceret, totum argumentum uberius exponerem & pertractarem. Quid experientia hic definiat perveſtigare præcipua

cipua mihi cura fuit : cum & Hippocrates, in Præceptionibus, *ea demum ratiocinia laudet, quæ ab apparentibus naturæ, quæ* φαινόμενα *dici suevêrunt, initium capiunt, atque hæc quoque ad scopum meum sufficiant. Quoad reliqua, plane persuasum habeo, miraculum hoc divinæ solertiæ nos quidem intueri & mente quodam modo contrectare posse, sed penitius illud inspicere & digne eloqui integrum nobis non esse ; & illum tantum arcana huius fœderis & rationem, qua societas hæc & communitas continetur, tenere, qui pectoris arcana fabricatus est, quique potenti suo iussu, tam diversas substantias sociavit, ut in unum coirent effecit, atque fœdus inter ipsas sancivit & confirmavit : quamvis eo ipso illorum laudibus, qui modum huius communionis ingeniosa, possibili, intelligibili ac plana præ aliis hypothesi, quæ nec libertatem nec regimen corporis animæ detrahit, quamque nemini obtrudunt, declarare student, nil quicquam detractum velim ; quin potius eiusmodi hypotheses in via veritatis sua utilitate non destitui, & ad amabile verum plenius, qua ingenii acie hic penetrare licet, perspiciendum aditum faciliorem patefacere pro certo habeam.*

Disquisitioni, quam appendicis loco subieci, hauditapridem ansam præbuit Dn Iustin. David. Frieder. Hammer, Ipsheimensis Francus, *tum temporis Candidatus, iam Doctor Medicinæ dignissimus, qui & magnam eius partem, in celebri Academia, publice, pro consequendis summis in Medicina honoribus defendendam suscepit, postea vero ipse ut integram in lucem emitterem mihi suasor & auctor fuit. Cumque, ratione perversæ mentis & hydrophobiæ eandem commodum hic locum invenire posse iudicarem, subnectere illam & simul cum Aequilibrio Tuæ*, Lector benevole, *æquanimitati commendare non dubitavi. Vale &, ut valeas, æquilibrium mentis & corporis, quo bona valetudo continetur, æqua lance pensitare, æstimare & curæ cordique habere non gravare.*

DE



DE AEQVILIBRIO MENTIS ET CORPORIS *COMMENTATIO.*

SI quicquam est in Naturalis Philosophiæ amplitudine, quod nulla vel exquisitissima cogitandi ratione satis assequi, neque ideo tamen negare possumus, id sane est, quomodo natura illa omnibus corporeis soluta modis, (*) quæ quicquid agit cogitando agit,

Modus coniunctionis corporis & animæ humano ingenio impenetrabilis.

Pars melior nostri, divinæ lucis imago,
Mens alto cognata polo & cælestibus auris,

cum

(*) Dari omnino in homine eiusmodi naturam sive principium a corpore natura diversum, incorporale, admirandæ ac præstantissimæ operationes nullo modo nos dubitare permittunt. Καὶ γὰρ ἡ ψυχὴ ἀόρατος οὖσα τοῖς ἔργοις αὐτοῖς ὁρᾶται, inquit *auctor libr. de Mundo Aristoteli vulgo adscripti.* Enimvero, lux lumenque illud vitæ, motus celer cogitationis, acumen, sagax multaque simul celerrime agitans solertia, quam rationem vocamus, miranda vis inveniendi, facilitas percipiendi & discernendi, qua & causas rerum & consecutiones videt homo & similitudines transfert & disiuncta coniungit & cum præsentibus futura computat omnemque complectitur vitæ consequentis statum, memoria longe ante præteritorum, providentia futurorum & artium innumerabilium, reconditiorum, sub-

Datur Anima in homine.

 tilium,

cum extenso corporeo, mira societate, in unum coierit ac in mutuum actionum & passionum commercium descenderit.

tilium, difficillimarum, nominatim mathematicarum, cumprimis Algebræ & Analyseos, sic dictæ, speciosæ scientia, libera volitio, perpetua cogitatio, in qua vita animæ, eaque non simplex sed reflexa, ita ut homo non solum cogitet, sed & cogitare se, percipere, scire se intelligat sibique conscius sit, sunt proprietates eiusmodi conditionis, quæ a corpore & principio corporeo, quocunque modo disposito, figurato, coaptato, subtili reddito motuque artificiosissimo, harmonico, animato, proficisci nulla ratione queunt & ex consequenti alium a corpore sui fontem, originem, aliudque subiectum, in quo radicantur, agnoscunt. Evidentissime id ipsum quoque docet lumen revelatum, DEI benignitate nobis concessum, e quo ex plurimis unum saltem locum hic expendisse suffecerit *Genes. II. 7.* ubi apertissimum est, optimum maximum Creatorem homini iam creato & ad harmoniam vitalem perfecte disposito superaddidisse נִשְׁמַת חַיִּים, eumque præ omnibus creaturis dignum habuisse cui auram divinam inspiraret: quod quidem spiraculum, qua ratione non tam peculiare principium, quam solam sciendi facultatem superadditam denotare possit aut debeat, quemadmodum illi, qui diversum hic sentiunt, dicere coacti sunt, nemo sibi facile persuaserit; ipso sacro textu luce sua radiante. Fuere inter veteres Philosophos, qui animam nihil esse quam temperamentum elementorum, nil nisi nomen inane, nil nisi ipsum corpus unum & simplex ita figuratum, ut temperatione naturæ vigeat & sentiat, contenderunt, prout *Dicæarchum & Aristoxenum* ita existimasse auctor est *Cicero in Tusc.* & *Plutarchus de Placit. Philosoph.* Imo *Lucretio* teste, *L. III. de Rer. Natura*, tum temporis:

Existentiam animæ docet lumen revelatum.

Anima non est nomen inane.

multa quidem sapientum turba putarunt,
Sensum animi certa non esse in parte locatum:
Verum habitum quendam vitalem corporis esse,
Harmoniam Graji quam dicunt, quod faciat nos
Vivere cum sensu nulla cum in parte siet mens:
Vt bona sæpe valetudo cum dicitur esse
Corporis, & non est tamen hæc pars ulla valentis.

Fuere

derit, ita ut animus, ille æternitatis alumnus, angustis mortalis corporis vinculis coërceatur? Quodsi enim ipsos nos excutiamus omnesque abditos per viscera motus, sensus,

Fuere & nostris temporibus & reperiuntur fortassis adhuc, in Gallia, des Esprits forts, quemadmodum dici amant, quibus hæc sententia maxime arridet. Nec ignotæ sunt famosorum *Materialistarum*, quos vocant, apud Anglos, *Hobbesii, in Leviath. Cowardi, in libell. de material. & mortal. animæ, Anglico idiomat. conscript.* & *Raphson. in Epist. I. Demonstr. de DEO subiect.* opiniones, qui animam nihil aliud esse, quam vim, vitam, facultatem corporis, atque doctrinam de anima inter Christianos receptam, quod sit immaterialis substantia, corpori unita, a paganis confictam fuisse, nec principiis Philosophiæ, rationis & religionis consonam esse, crepant: quin animæ naturam inextensam & immaterialem imposturam Philosophicam esse, temere & impudenter pronuntiant. Sustinuit etiam ex Germanis haud ita pridem anonymus hanc sententiam propugnare, atque adductis variis rationibus speciosam reddere & quæ obstare videbantur, infringere ac removere. vid. **Zweyer guten Freunde vertrauter Brief-Wechsel vom Wesen der Seelen**/ ubi p. 78. aperte edicere non veretur: **Ich halte die Seele vor nichts anders/ als vor die** potentias, **die GOTT dem Leibe** inprimiret **hat / oder vor den Trieb dergleichen** operationes **zu verrichten/ die ihn von andern Geschöpfen** distinguiren. Quamvis hic auctor Anonymus, postea publice professus & confessus sit: animam esse diversum quid a corpore atque ens immateriale; seque in commercio isto litterario, id saltem egisse ut dubium quoddam, nunquam divulgandum palam, proponeret. vid. *Edit. nova de A. 1723.* At vero, quemadmodum veteres illi *Lucretio*, Epicureo, magnopere errare visi sunt, nec non *Ciceroni*, cuius sequentia sunt, *L. I. Tuscul. Quæst. Nihil est in animis mixtum aut concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum: his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat & futura prævideat & complecti possit præsentia.* Ita nec recentiores hanc evagantem sententiam ullo modo sapientioribus vel plausibilem saltem reddere, nedum pro-

Materialistarum error.

sensus, operationes curatius perquiramus, sua cuivis conscientia dictitabit, hominis naturam coniunctione duorum diversæ naturæ principiorum absolvi: alterius cogitantis,(*) quod

probare potuerunt. *Tanta ne opus est*, inquit *Malebranchius*, *mentis attentione, ut capiat, cogitationem nihil esse rotundi nec quadrati? extensionem diversarum figurarum variorumque motuum duntaxat esse capacem, nequaquam vero cogitationis & ratiocinationis; ac proinde id quod cogitat & id quod est extensum esse duo entia plane opposita? de Inq. veritat. L. IV. C. II.* §. *10.* atque hinc rectissime dicit Clariss. *Crousaz dans la Logique P. I. S. II. C. I.* §. *3.* un corps pensant est une chimere, une figure & un mouvement qui apperçoit une extravagance. Materia sive corpus cogitans est σιδηρόξυλον. Vt proinde in vanum egerit acutissimus alias *Lockius*, quando demonstrare conatus fuit, materiam cogitationis & rationis participem fieri posse, salvis proprietatibus essentialibus materiæ; aut, quod eodem recidit, ex substantia extensa & solida, h. e. per essentiam non cogitante, posse fieri substantiam cogitantem, salva manente essentia substantiæ non cogitantis: perinde ac si ex lapide posset fieri aurum, salva essentia lapidis; ex musca elephantus, salva essentia muscæ; ex albo atrum, salva essentia albi; ex inanimato animatum, salva essentia inanimati. A materia sive natura corporea cogitationem & rationem derivari nullo modo posse, ut plurimi ex veteribus probe perspectum habuerunt, ita cum reale & materiale ipsis unum idemque esset, duplicem finxerunt materiam, aliam terrestrem quatuor elementorum, incognitam aliam, indivisibilem & immobilem, cælestem, divinam, tanquam quintum elementum sine nomine, ex quo mentes constarent. *Aristoteles*, inquit Cicero l. c. *quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim & providere, & discere, & docere - - in horum quatuor generum nullo inesse putat; quintum genus adhibet, vacans nomine.* Animam non esse harmoniam, neque operationes eius cum harmoniæ operationibus conciliari posse, erudite quoque ostendit *Bernhardus Trevisanus, Patricius Venetus, in libello, cui titulus L'immortalita dell' anima, Anno 1699. in lucem emisso, meditat. II.*

Lockius frustra materiam cogitationis participem fieri posse contendit.

Mens est

(*) Mentem sive animam rationalem dico: rem sive substantiam

quod mentem sive animam appellamus, corporei alterius (*) partium extra partes positione extensi, impenetrabilis

tiam cogitantem; quoniam cogitatio est eiusmodi proprietas animæ, quæ in ea primum cognoscitur, quæ ab ea inseparabilis est & a qua omnes illius proprietates dependent, ita ut vis actuosa mentis omnis in cogitationibus se manifestet, atque iis omnes actiones mentis absolvantur, neque magis mens sine cogitatione, quam ignis sine motu aut sol sine luce concipi possit. Nec satis causæ est, quamobrem multum hic morer illorum obiectiones, qui animam sine intermissione cogitare in dubium vocant, ex eo, quod quos arctior & profundior somnus complectitur, cogitationum suarum sæpe non recordentur, quod acutissimus *Lockius de Intellectu humano P. II. C. I.* §. *10.* cumprimis urget. Sed uti huic satisfecit *Molynesius*, vid. *Epistol. Familiar. Lockii & nonnullorum Amicorum*, ita nemo non videt: aliud esse cogitare & conscium esse, aliud vero reminisci suarum cogitationum. Quoties enim accidit, ut vigilantibus nobis, in præsenti fervore, cogitationes excidant? eccur igitur in somno hoc mirum videtur? Deinde, quod potissimum est, omnes mentis actiones cogitatione absolvi, nemo negaverit: sicuti, vivere mentem nulli dubium est. Ergo vita hæc, quæ sine actu & agitatione existere nequit, consistit in cogitatione, uti vita corporis in motu: & sic vita animæ ac cogitatio pari passu ambulant, nec magis cogitatio animæ, quam vita ipsius, tolli potest. Ergo quamdiu vivit, perpetuo cogitat. Scite non minus quam vere *D. Augustinus L. IV. de Spirit. & Anima. Sicut motus*, inquit, *non cessat in corde, unde se pulsus diffundit usque quaque venarum; ita non quiescimus aliquid cogitando versare. Nec enim*, sunt verba doctissimi *Boxhornii, Orat. de Somniis, ideo stertit animus, quia corpus, ac multo amplius agit quam audire, videre, tangere ac ministerio sensuum defungi. Vt enim picta semel tabula non ideo minus picta est, quia aliquando non spectatur; ita mens nostra, vegeta semper & alacris, non ideo minus sua agit, quia actiones eius oculis corporis non usurpamus.* *Substantia cogitans.*

(*) Equidem non desunt ex gente Philosophorum, qui corporis quoque existentiam in dubium vocant, atque nulla dari corpora, nec posse dari, solosque spiritus existere, atque id, quod nos cor- *Idealistarum error.*

 pora

Omnes nostræ operationes sunt vel cogitationes vel motus corporei.

bilis & ſtructura organica ad varias motiones propendentis. Quicquid enim motuum, quicquid operationum in nobis animadvertimus, id omne vel ad cogitationes vel motiones corporeas referimus. Quemadmodum id non minus inde clariſſimum eſt: partes illas tanto naturæ hiatu inter ſe differentes, ut nihil in unius conceptu contineatur, quod alterius notio non excludat (*), adeo tamen arcte in unam perſonam conſociari, ut una ſine altera nec affici, nec ſine alterius adiumento negotia a DEO præfinita perficere queat; atque hinc, ex ſapientiſſimo T. O. Creatoris inſtituto, anima corpori conſociata, huius non ſolum miniſterio utatur, ſed &, in hoc conſociationis ſtatu, actionibus ſive cogitationibus ſuis, organa ipſius varie afficiat & ab eorum viciſſim motibus varia ratione afficiatur; ita ut ad cogitationes & nutus mentis determinati organorum corporeorum motus, ad motus corporeos, perceptiones & cogitationes mentis exoriantur; ut membra corporea audiant quaſi animæ imperium, & mens concentum organorum corporeorum percipiat & intelligat, eoque ſe flecti patiatur; ut anima corpori motum, quem ipſa non habet, inſpiret, & corpus animæ præſcribat

pora appellamus, nihil aliud eſſe, niſi ideas, quæ exiſtentiam habere non poſſint diſtinctam ab iis ſpiritibus, qui has ideas habent. Verum eorum ſententiam & rationes hic nihil moror. conf. interea *Magnif. & ſumme Reverend. Pfaffii Orat. de Egoiſmo.*

(*) Alterum concipimus, ut extenſum quid, ſolidum ſive impenetrabile, ac mobile & proinde ad varias figuras ſuſcipiendas, ac diſpoſitiones, modificationes ſubeundas aptum. Alterum ut percipiens, cogitans, intelligendi, iudicandi, ratiocinandi, volendi, cupiendi, deſiderandi, facultate præditum. In unius idea nil reperio de idea alterius; atque binæ illæ ideæ nihil habent commune: quin potius ſunt diſſimillimæ & diverſiſſimæ.

bat quasi cogitandi modum, offeratque ideas, quæ in sinu suo nasci non possunt.

Hæc novimus atque miramur; nec est cur vinculum, hamulos aut gluten aliquod intermedium operosius disquiramus, quibus spiritus cum corpore, immortalis cum mortali connectatur aut conglutinetur; vel substantiam quandam intermediam semi-quasi spiritualem, Archeum aut simile quid, gratis confingamus, vel spiritus sic dictos animales, ratione reclamante, huic muneri præficiamus: cum satius sit, id quod prudentissimi quique agnoscunt, in re difficili, in sapientissimi Creatoris beneplacito acquiescere, atque mirandam illam unionem inde, unde immediate originem duxit, a benignissima DEI voluntate, deducere. *Non datur aliquid naturæ mediæ, quod spirituale hic cum corporeo coniungat.*

Illud enim satis superque perspectum habemus: eandem, illo iubente, ea lege coiisse, ut, occasione certarum in corpore motionum, certæ cogitationes in mente exoriantur, & vice versa, certas huius cogitationes certi corporis motus consequantur: sive, si Illustris *Leibnitii* harmoniæ præstabilitæ hypothesis arriserit, utramque hominis substantiam, animam æque ac corpus, vi suæ naturæ quidem agere, actiones vero unius alterius operationibus, ex prævidentia divina, sic ordinatas, tam exacte uno eodemque tempore correspondere, ac si uno agente perficerentur. vid. *Iournal des sçavans Ann. 1695. p. 444. sqq.* conf. *Excellentiss. Wolffii Metaphysic. & Annotation.* ubi ingeniosa hæc hypothesis uberius exponitur & dilucidius explanatur; nec non *acutissimi atque clariss. Bülffingeri, Profess. Tubingens. Commentat. de harmon. anim. & corporis human. maxime præstabilita*, ubi eadem doctissime illustratur & vindicatur. (*) Idque mutuum cogitationum motuumque *Mutuum tamen datur utriusque commercium.*

(*) Modum, quo conspiratio hæc & harmonia actionum utriusque *Modus*

que corporeorum commercium, ſive harmoniam & conſpirationem exactiſſimam utriuſque hominis ſubſtantiæ, vinculum quaſi eſſe inter haſce partes, motuſque corporis potiſſimum mentem huic alligare, rectiſſime obſervat *Cordemoy, de diſtinct. Ment. & Corpor.* cum durante illo proportionato, vitali, partium fluidarum per ſolidas motu, anima corpori cohabitet; eo vero ceſſante & commercio, quod menti cum corpore intercedit, corporis culpa, conquieſcente, illa vel invita expellatur. Sunt equidem, qui animam amore corpus complecti & vinctum quaſi tenere conten-

Vita corporis, ſive motus vitales corporei, vinculum quaſi ſunt inter animam & corpus.

---

que hominis ſubſtantiæ, rerum tota natura diverſarum, procedat, me non perſpicere lubentiſſime profiteor, maloque hic æquo animo in beneplacito divini Conditoris,

Stupenda cuius opera nec noſtra aſſequi,
Sed nec negare mens poteſt. Pſ. CXXXIX. 14.

acquieſcere, quam in re difficillima cum latentibus nodis multum dimicare. Sufficit, adeſſe hic veram & talem conſociationem huius corporis cum hac anima, ut, ſub certis utriusque ſubſtantiæ conditionibus, actiones utrinque conſentiant, conſpirent, ſint ſimul, non aliter ac ſi binæ iſtæ ſubſtantiæ mutuo in ſe invicem agerent, ac organa corporeaa, rgutiſſimo artificio conformata ac diſpoſita, audirent animæ imperium, atque anima motus, vibrationes concentum organorum perciperet ac intelligeret: quacunque demum ratione ſapientiſſimus ac providentiſſimus Creator hoc effectui dederit. Vnde & a modo loquendi communi, qui ſoli experientiæ innixus, quæ ita iunctas ac conſpirantes has actiones nobis proponit, ac ſi influxu mutuo perficerentur, rem, prout apparet, exprimit, non receſſi, quamvis eo ipſo de ipſa re, prout eſt, nihil determinatum velim. Illud negari nequit, conſpirationem, harmoniam hic adeſſe præſtabilitam, prævisam, *Eccleſiaſtic. XLIII. 19.* voluntati hominis liberæ haud adverſam: de reliquo parum ſum ſolicitus. Harmonia illuſtr. *Leibnitii* præſtabilita, quæ *chamæleon* eſt, in oculis eruditorum, ſaltem ut hypotheſis a laudatiſſimis Auctoribus proponitur, neque ulli obtruditur.

conſpirationis actionum utriusque ſubſtantiæ eſt ignotus.

tendunt, nec me invito; cum animam amore corpus prosequi eidemque bene cupere certo certius sit; modo expeditum dare possent, qua ratione substantia corporeæ molis expers vas illud corporeum possit affectu illo comprehendere, vincire, ut cum eo in unam personam coalescat.

Pro corporis constitutione & temperie, animi inclinationes variæ.

Vi igitur arctissimi illius commercii, corpus agit in animam, aut cum organorum corporeorum certis ac determinatis motionibus conspirant certæ, in mente, cogitationes, ita ut immortalis anima mutato corpore flectatur. Quod ut in negotio sensationis apertissimum est, quando ab actionibus diversorum obiectorum in organa corporea & a propagatis horum ad partem illam cerebri, quam commune sensorium vocant, motibus, diversæ, pro ratione obiectorum, perceptiones, cogitationes, ideæ in mente oriuntur, quæ sine actione obiectorum in organa non orirentur: ita pro varia constitutione, dispositione partium solidarum, nervorum atque cerebri, atque temperie succorum influentium, variæ & diversæ cogitationes in animo, experientia fidem faciente, proveniunt. Adolescente corpore & adaugescente inprimis vigore cerebri, adolescit & augescit vis ac vigor mentis & ingenii: isto vero vigore per ætatem decrescente, & hic decrescit. Quando naturalis adest cerebri temperies, atque succi illud rigantes vividæque undæ, leni & æquabili vibratione fibrillarum, libere & placide promoventur, mens rationem exercet. Quando vero a naturali dispositione ac temperie descifcit, per morbos læditur, a congesto sanguine ultra modum oppletur & distenditur, vehementiore ferventium humorum æstu commovetur, de statu suo mens deiicitur. Prout succi & humores sunt magis vel minus temperati, atque, ab eorum influxu, partes solidæ diverso modo intensæ, mens et-

iam ad actiones suas exercendas magis vel minus habilis est: unde homines pro ratione ætatis, (*) vitæ generis, diætæ, sexus, (**) climatis, regionis ac loci habitationis, varios quo-

Inclinationes animi pro diversa ætate diversa.

(*) Hinc alio inclinant animi puerorum, alio virorum aut senum, atque hinc est morum illa diversitas, de qua *Horatius* canit, de *Art. Poet. ad Pison.*

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturæ dandus & annis:

quando Puer

- - - - iram
Colligit ac ponit temere & mutatur in horas.

Iuvenis

- - - - custode remoto,
Gaudet equis canibusque & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis cupidusque & amata relinquere pernix.

Aetas vero atque animus virilis

Quærit opes & amicitias, inservit honori.
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.

Senex

Quærit & inventis miser abstinet ac timet uti:
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri:
Difficilis, querulus.

Quæ diversitas a diversa fibrillarum cerebri constitutione, textura, molliori vel firmiori, atque hinc derivanda diversa mobilitate, nec non succorum influentium diversa actione & motu proficiscitur. Mollius enim atque tenerius cerebrum maiorem animi mobilitatem, solidius maiorem in agendis constantiam infert.

(**) Inde

varium & mutabile semper
Fœmina

Virgilio dicitur, *Aeneid. IV. 569.* ob habitum molliorem, rariorem, teneriorem, delicatum, vid. *Hip-*

quoque affectus induere, (unde Plato ex terræ diversis habitationibus, ex vario spiritu, ex insolationibus ac denique ex varietate nutrimentorum, non solum ipsorum corporum, sed animorum etiam profitetur nasci diversitates) (*) & quoties a cibo potuque sanguinis & cerebri motus

Hippocrates, de Mulier. morbis. confer. *Baglivus, de Anatom. fibr. morbisque solidor. Opp. p. 411. sq.* atque nervos proinde ad motus suscipiendos ac subeundos procliviores. Præterea quid notius, quam fœminas & vehementes in ira, ob temperiem sanguinis calidiorem, & quoniam sanguis, in corpore molli, ex plenitudine supra modum incalescit, verbis *Hippocratis l. a.* & tenacissimas esse irarum nec iniuriarum facile obliviscentes, ob sanguinem quodammodo spissescentem lentescentemque, habitu & fibris aliquo modo siccescentibus, ex observatione Excell. *Stahlii, de Temperament. C. II.*

(*) Nec illud nos fugiat, magnam esse locorum, ad ferendum meliores peioresque homines, differentiam. Quippe alii varietate ventorum & turbine difficiles & protervi sunt: Alii propter aquas, alii propter cibos, qui ex terra non solum corporibus commodi aut incommodi oriuntur, verum animis quoque non minus. *Plato, Dial. V. de legibus.* conf. *Plin. H. N. L. II. c. 78.* Hinc observamus, non tantum quamlibet mundi partem peculiari suo gaudere genio, sed & unicuique regioni suas naturales quasi & congenitas esse virtutes, vitia, mores. Sic, qui de moribus gentium scripserunt celeberrimi auctores, *Iohannes Barclaius, Scipio Claramontius* & alii iamdudum animadverterunt: Populos Americanos barbaros esse & incultos, Africanos astutos & fraudulentos, Asiaticos molles & inflatos, Europæos viriliores omniumque cultissimos. Ita omnium ore decantata est candida Germanorum simplicitas atque fides, Italorum mens recondita, Gallorum levitas, celeritas, civilitas, lepor, Hispanorum tumor cum lentis consiliis, Scytharum immanitas, Sarmatarum ferocia, Syrorum avaritia, Græcorum fluxa fides, Cretensium vana levitas, Pænorum perfidia, Bœotiorum stupor. Quamvis enim causæ non unæ hic concurrant: illud tamen facile apparet, naturam & temperamentum hic incipere, reliquas causas, consuetudinem

Pro ratione terræ, regionum & locorum habitationis inclinationes & mores hominum diversi.

tus atque temperies mutatur, morum & cogitationum mutationem fieri, eundem hominem causæ ignarum, modo lætos in corpore motus sentire, modo contristari, ebrios vero & gulosos rationis usum amittere, exire de potestate rationis, iudicii, mentis, sibique prorsus dissimiles fieri, (*) & ho-

tudinem v. gr. educationem &c. perficere. Ecquis enim, modo animum huc advertat, non videt, diversitatem caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis in certis locis & regionibus, ciborum item quibus vescuntur, aquarum quas bibunt, aëris quem hauriunt homines, diversitatem animorum, inclinationum, affectuum inducere, ut alii sint hebetiores, alii acuti, cordati alii, alii timidi, isti tecti, simulatores, hi candidi, aperti: illi ad venerem proni, protervi, hi verecundi, temperantes &c.

Ebrietas aliam mentem inducit.

(*) *Plutarchus* vini potum tanta vi censet præditum, ut inebriatus facillime omnes mores suos prodat: unde *Homerus* dixerit: Nec vero in mensis alienam inquirito mentem. *Hinc patefacit*, inquit, *vinum nos & explicat nec sinit conquiescere, verum longissime remotis a lege, sicut pædagogo, fucum & personam detrahit. Quæst. Convival. L. III.* Ita & *Seneca: Non est*, inquit, *animus in sua potestate, ebrietate devinctus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eiectat; sic vino exæstuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur & prodit in medium. Onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne secretum quidem: quod suum alienumque est, pariter effundunt. Ep. LXXXIII.* Hinc proverbia Græcorum: τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης τοῦ μεθύοντος: item ἐν οἴνῳ ἀλήθεια.

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
γινώσκουσ', οἶνος δ' ἀνδρὸς ἔδειξε νόον. *Theognis.*

οἴνου καλιόντος, ἐπιπλέουσιν ἔπεα. *Herodot.* θαρσαλέα παρὰ κρατῆρι φωνὰ γίνεται. *Pindarus in Nem.* Sic & *Horatius* canit *L. I. Epist. 5.*

potare & spargere flores,
Incipiam patiarque vel inconsultus haberi.

qui

& hominem quasi exuere observamus: ut nihil de morbis, febricitantium & melancholicorum deliriis, aliisque similibus, iam commemorem. *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sapient. IX. 15.* Accommodate ad veritatem *Seneca: Hæc,* inquit, *quæ vides ossa circumvoluta nervis & obductam cutem vultumque & ministras manus & cetera, quibus involuti sumus, vincula animorum tenebraque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur a veris & suis, in falsa conjectus: omne illi cum hac carne grande certamen est. de Consolat. ad Marciam C. XXIV.* (*) Itemque *Corpus hoc animi pondus ac pœna est: premente illo urgetur, in vinculis est. Epist. LXV.* (**) Agnovit idem *Plato* suo tempore & cum

---

qui deinde septem ebrietatis effecta subiicit; nempe arcana eandem detegere, confidentes reddere, audaces facere, solicitudinem eximere, sapientiæ fatuam opinionem afferre, garrulos & loquaces efficere, in summa paupertate dissolutos & prodigos reddere, dicit:

Quid non ebrietas designat? (1) *operta recludit:*
(2) *Spes iubet esse ratas:* (3) *in prælia trudit inermem:*
(4) *Sollicitis animis onus eximit:* (5) *addocet artes.*
(6) *Fœcundi calices quem non fecere disertum?*
(7) *Contracta quem non in paupertate solutum?*

Furere apud sanos & quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur, inquit *Cicero, Acad. Q. 14.* qui & alibi effecta ebrietatis ponit, tribus gradibus distincta: (1) amissione sensuum, ignoratione sui, (2) futilitate, sive loquacitate, garrulitate, (3) rixis.

(*) *L'ame* & *le corps* sont deux ennemis, qui ne se quittent qu'avec peine: deux amis, qui ne se peuvent souffrir: ils ont des grandes liaisons, & cependant ils se contrarient toujours. *Journal Historique, A. 1722. Fevrier. p. 93.*

(**) Tribuunt hanc sententiam Orpheo priscisque ethnicis Theologis & Vatibus, quam Pythagoras & Plato cum sectatoribus suis, itemque Stoici postea susceperunt, qui corpus mox pœnam animi, mox

& cum *L. II.* tum præcipue *V. de Legib.* amplissime docuit. Nec Pythagoreis id ignoratum fuit: qui ideo a carnium esu abstinebant, ne talium animantium mores una imbiberent, & cibos potius eligebant, qui succos præberent temperatiores, ad æstus & motus animi concitandos minus ido-

Pythagorei cur a carnium esu abstinuerint.

---

mox triste pondus, obscurum, grave animi domicilium, terrenum carcerem, ergastulum vocarunt, vid. *Huetius Quæst. Alnet. L. III. C. XI.* nec non Clar. atque Excell. *Maius, Fil.* Collega atque Amicus noster honoratissimus, *Observat. sacrar. L. IV. p. 50. seqq.* ut & *Annotation. ad Basilium M. de legend. Gentil. libris, Cap. XVII. p. 56.* qui & infernum animi corpus dictum memorat, ex *Antholog. libr. I. 37.*

Corpus carcer & ergastulum animæ.

Σῶμα πάθος ψυχῆς, ἅδης, μοῖρ᾽, ἄχθος, ἀνάγκη,
Καὶ δῆμος κρατερὸς, καὶ κόλασις βασάνων.
Ἀλλ᾽ ὅταν ἐξέλθῃ τοῦ σώματος, ὡς ἀπὸ δεσμῶν
Τοῦ θανάτου, φεύγει πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

Carcer & infernus, tum luctus tristeque pondus
Est animo corpus, quum dominatur ei.
Hoc laxatus enim sævæ ceu carcere mortis,
Pervolat ad sedem candidus ipse Deûm.

Sic quoque in *Poemandro*, libello *Hermeti Trismegisto* attributo, quem, cuiuscunque etiam Auctoris sit, *Hermeticas* tamen sententias continere *Iamblichus* auctor est, *de myst. Aegypt.* sequentia legimus: *Exue corpus istud, quod circumfers, vestimentum ignorantiæ, fundamentum pravitatis, vinculum corruptionis, mortem vivam, cadaver sensibile, sepulchrum portabile, domesticum furem: blanditur, quia odit, odit, quia iuvidet: dum vivit vita te privat; non est capitalior hostis tibi.* A Philosophis gentilium ad Doctores Christianos similitudinem illam de carcere transiisse, idem vir clarissimus observat, quod eo minus mirum videbitur, si & ipsam sacram paginam ab hisce loquendi modis non plane alienam esse cogitemus. vid. inprimis *Epistol. Pauli ad Roman. VII. 24. II. ad Corinth. V. 4.* Nec explodendi prorsus, quoad hanc denominationem, sunt Stoici, si eorum sententia sano sensu accipiatur, quamvis in eo maxime sint culpandi, quod exinde pariter ac aliis præsumtis opinionibus, ne quidem homi-

idoneos. Hinc faba quoque abstinuere, quod habeat inflationem magnam hic cibus, tranquillitati mentis contrariam, & quod illo mens non venter infletur, ex sententia *Ciceronis, de div.* Nempe adeo refert, quo victu vita colatur. Non sine ratione antiquissimus Medicinæ stator, *Hippocrates, Libr. de flat. S. XX. 3. Ex iis*, inquit, *quæ in corpore insunt, nihil magis ad prudentiam confert quam sanguis: hic ergo eum consistenti habitu persistit, prudentia etiam constat: sanguine vero permutato concidit simul prudentia.* Nec non *Lib. I. de Diæt. S. XXXII. Et sane hoc faciens, i. e. tali diæta & medicamentis utens, sanior & sapientior anima fuerit.* Et ibidem *S. XXXVI. 33. Sapientis quidem igitur ac desipientis animæ hoc temperamentum causa est, quemadmodum a me scriptum est, potestque ex diæta & melior & deterior anima fieri.* Unde sanguinem prudentiæ fontem dixerunt Medici, cuius ea sit vis, & in humano corpore facultas, præsertim, ubi ætatis progressu, spiritu, sic dicto, vitali, magis

hominis partem, sed instrumentum supplicii, corpus esse, &, ex isto capite, corporis curam abiiciendam, illudque ita contemnendum existimaverint, ut sævire etiam in illud, tanquam rem malam, liceat. Corpus enim, tanquam pars hominis, omnino curæ habendum, reficiendum, tantumque ei tribuendum, ut ait *Plato*, quatenus ad sapientiæ studium inservit; quin danda opera ut ipsum corpus illis perturbationibus sit superius, verbis *Basilii M. de legend. gent. libris C. XVII.* cavendumque omni studio, ne per latus ipsius, in meliorem nostri partem, animam, delinquatur; ne durior carcer, sed domicilium ac tabernaculum, ex forma loquendi Apostoli, *loco citat. ad Cor.* existat. *Fateor quidem*, inquit Illustris *Francus a Franckenau*, *insitam esse nobis corporis nostri caritatem. Fateor, nos eius gerere tutelam: nec uego indulgendum illi: verum serviendum nego. Multis enim serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum! Orat. de studior. noxa.*

magis perfunditur, ut expeditam mentis agitationem celeresque discursus ac solertiam pariat, quæ quotidiano usu & exercitatione prudentiam multarumque rerum cognitionem comparat. vid. *Rolfincius*, *Ord. & Meth. Med. special. L. IV. S. II. C. XXI. p. 375.* Atque id *Galenus* etiam *Libr. Quod animi mores sequantur temperamentum corporis*, fuse demonstravit, qui proinde bonum corporis habitum, bonos quoque mores sequi contendit, *L. I. de san. tuend.* & quidem veritate non invita, cum experientia evidenter ostendat, homines, pro diverso corporis habitu, ad actiones morales dispositos esse, atque varias illorum inclinationes a temperamentorum diversitate provenire. Enimvero exploratum satis atque apertum est, quod pro diversis conditionibus sanguinis & canalium, sive diversa succorum in mixtione sanguinis exsuperantium natura, ipsiusque sanguinis fluiditate, mobilitate & ad influendum partesque solidas intendendas habilitate, itemque pro solidarum partium fibrarumque sensilium, nervorum atque cerebri dispositione, intensione, adstrictione, duritie, robore, vires imaginationis, memoriæ, ingenii, iudicii aliarumque mentis operationum diversæ sint, variæque animorum propensiones, appetitus, aversiones, affectus, maiorque vel minor proclivitas ad virtutes & vitia exoriantur.

A temperamenti diversitate diversa cogitationes & inclinationes animæ.

Sic in *temperamento*, ita dicto, *sanguineo*, ubi sanguis temperate mixtus, blandus, fluidus, vasa exilia, sed multa, habitus mollis, moderate tamen adstrictus, fibræ nerveæ satis, sed moderatius intensæ & ad motuum impressiones recipiendas ac propagandas satis habiles, pronæ, promptæque sunt, ut moderato impulsu omnia blande, placide, promte succedant; animi exsurgit lætitia, vigor, promtitudo, curiositas, sed inconstans & vaga, rerum sensibilium, memoria & imaginatione magis quam acri subtilique iudicio & attentione

Temperamentum sanguineum.

tione longa tractandarum, otii amor, negotii operosi aversatio, honorum & gloriæ, quæ ex facili venit, cupiditas, ad omnia, quæ voluptatem pariunt, propensio, omniumque, quæ sensus delectare possunt, avidum desiderium, & hinc vitæ intemperantia, ad res subitas trepida cunctatio, in periculis anxietas & consilii inopia &c. In *cholerico*, ubi succi abundant subtiles, fluidi, agiles, sed acres, sulphureo-salini, vasa vero satis sunt capacia, larga & patula, habitus arctior, fibræ nerveæ strictiores, sensiliores, & ad citatiores vibrationes proniores ac magis dispositæ, ut promtius, pulsu maiore & validiore, omnia promoveantur & peragantur; mentis & ingenii adest promtitudo, alacritas, curiositas difficilia & abstrusa sciendi, vehemens animi applicatio, sed non adeo diuturna, impatiens desiderium, iracundia maxima, audacia, suique fiducia, vigilantia, calliditas per omnes prudentiæ partes, arrogantia, superbia, immodica laudis, dignitatum & honorum cupiditas, unde ambitio sæpe exorbitans, cuius impetum vix coërcere, aut intra modestiæ & rationis, vel etiam pietatis limites retinere possunt, quæque efficit, ut honorum fastigia ac dignitatum splendorem iucundissima sub specie sibi repræsentent, atque imaginationis errore, inepte ac stolide, ex rebus nullius momenti honorem captent ac sibi confingant; iudicium penetrans & excellens, unde rebus iudicii delectantur cholerici, & ad studia, quæ iudicium requirunt, per naturam, præ aliis, sunt apti, sed fervore & vi ignis abrepti, impatientes iisdem non satis diu inhærent & raro tantum temporis rerum inquisitioni atque examini impendunt, quantum requirebatur ad comparandas exactiores ideas; unde plurima ipsos prætereunt, quæ fixiore attentione & diuturniore applicatione assequi & deprehendere potuissent. In *melancholico*, ubi succi sunt spissiores, visci- *Cholericum.* *Melancholicum.*

 diores,

diores, minus mobiles, vaſa capacia, ſed magis intenſa, fibræ firmiores, rigidiores, ſtrictiores, habitus adſtrictus, atque motus proin tardiores, ſatis tamen validi; fixior eſt animi intentio, tenacitas in propoſito, aſſiduitas, tarda conſilia, in laboribus patientia, meditatio, ſpeculatio, ad agendum enim non ſegnes, ſed tardi ſunt; altior memoria, moroſitas magis quam iracundia, ſolicitudo, diffidentia, unde melancholici ſibi ipſis & rebus ſuis diffidunt, meticuloſi & ſuſpicaces ſunt, in rebus magis impedimentum quam ſucceſſum ſuſpicantur, & fortunæ caſus, quibus vita eſt expoſita, anxie ſibi proponunt & imaginantur, in rebus impeditioribus extrema quæque metuunt, hinc moderationis, proportionis ac certitudinis amantes ſunt, de futuris anxii & ſoliciti, unde avaritia & ſtudium conquirendorum nummorum, ne deſint neceſſaria; hinc quicquid huic paſſioni blanditur eosdem delectat, & quicquid eidem adverſum eſt, illos vehementer affligit; inde dum phantaſia hæc intellectum & voluntatem movet, oriuntur invidia & violenta ſæpe conſilia &c. In *temperamento phlegmatico*, ubi ſucci aquoſi, molles, blandi, gelatinoſi, lubrici, ſatis fluxiles prævalent, vaſa exilia ſunt, ſed plurima, patula, fibræ laxiores, atque minor nervorum ad citatas vibrationes habilitas, habitus ſpongioſus, laxus, mollis, ut impulſu leniori omnia, ſed lente, propellantur; torpor adeſt mentis, ſegnities, ignavia, incuria, negligentia, ſtupiditas, oblivio, ſomnolentia, tarditas, otioſæ voluptatis amor, laboris ſcientiarumque atque doctrinæ ſolidæ, & hinc operoſæ ſubtilisque, fuga & averſatio; unde nihil magnopere neque penſitant, neque æſtimant, tenaces ſunt rerum, in quas incidunt, non ex rationali æſtimatione, ſed ob tædium laboris, languidi, remiſſi, meticuloſi, anxii, ſæpe etiam avari, ut voluptati

Phlegmaticum.

otioſæ

otiosæ satis sit, cibos & potus ob otium expetunt, ingenii dotibus destituuntur, nempe obliviosi, nihilque, nisi quod ventri conducit, curæ habent.

Præterea experientia compertum habemus, quod, prout hæc temperamenta, pro varia mixtura, se ipsa temperant, atque temperamenta mixta, quæ vocant, constituunt, variæ quoque oriantur animorum inclinationes, repræsentationesque phantasiæ, quibus intellectus & voluntas afficiuntur & moventur, prout a præstantissimæ eruditionis viris id dudum doctissime expeditum fuit. Vbi tamen illud observari velim: temperamenta tantum inclinationes inducere, necessitatem non imponere, atque rationem inclinationibus his posse resistere, idque eo magis, quando educatione, conversatione, institutione exculta, consuetudine confirmata, maxime quando divina luce illuminata est: pluresque reperiri sæpe conditiones, quibus proclivitates ex temperamentis reprimuntur. Interea propensiones animæ ex habitu & temperamentis oriri, atque, prout curam agimus corporis, ali vel deprimi quodammodo posse, nullum dubium est; ut vere *Galenus L. I. de san. tuend.* dixerit: *Corrumpuntur animi mores prava consuetudine cibi, potionis, exercitationis. - - Itaque peritum eorum omnium esse Medicum oportet, qui sanitatis tuendæ curam suscipiet; nec ea opinione esse, quasi ad solum spectet Philosophum, animi mores effingere.* Sic quoque *Plinius* animum agitatione motuque corporis excitari contendit. *Epist. II. Libri I.* sicuti & *Plutarchus*, auctor in omni Philosophiæ genere versatissimus, *corporis temperaturas appetitus certos accendere & alere* scripsit. *Quæst. natur.* Cumque temperies pro cæli ac aëris varietate varia sit, recte *Seneca* ingenia hominum ad similitudinem cæli formata (*) esse dixit.

Temperamentum mixtum.

Temperamenta inclinant, necessitatem non imponunt.

(*) Fuse hoc ipsum docent Auctores, qui de moribus gentium

dixit. *Consolat. ad Helv. c. VI.* Ac *Aristoteles* optimam temperiem aëris non corpori solum, verum etiam hominis intelligentiæ prodesse, decessus autem omnes, ut corporis, ita etiam mentis temperamentum pervertere existimavit. *Probl. IV. §. XIV.* Idem docet *Hippocrates*, qui prudentiam cerebro aërem subministrare, & sapientiam ex corpore contingere, prout aëre participat, affirmat: atque etiam formam hominum & mores naturam regionis imitari contendit. *L. de flat.* Et sane, res apertissima est, tam εὐταξίαν mentis, i. e. facultatem obiectorum in organa nisum & actionem percipiendi, res perceptas conferendi, connectendi, atque inde iudicium formandi, quam ἀταξίαν sive perturbatam hanc facultatem, a temperamento vitali, h. e. partium solidarum & fluidarum mutua proportione, illarum tensione, flexilitate, elatere, harum consistentia, crasi, fluxilitate atque utrarumque motu pendere, atque ad exacuendam mentis & ingenii vim, exornandosque mores plurimum partium solidarum tensionem & tonum, & humorum temperiem conferre. *Magni enim refert,* inquit rursus *Hippocrates*, *quali in corpore animi locati sint, multa enim in corpore existunt, quæ acuunt mentem, multa quæ obtundunt.* Atque hinc cum carnium laxitate & nervorum infirmitate, a calido inducta, mentis quoque stuporem oboriri observavit, *Aphor. XVI. Sect. V.* cum e contrario cum

magna volumina scripserunt. *Aristoteles*, in Problematibus, in genere duo axiomata tradidit. 1. Efferis moribus & aspectibus esse, qui in nimio vel æstu vel frigore vivunt. 2. Qui loca fervida colunt timidos esse; qui gelida fortes. Sed hæc non sunt universalis veritatis. Clarissimus *Hoffmannus*, *Consil. & Archiat. Reg. Boruss. & Prof. Halensis famigeratissimus*, erudite pariter ac eleganter fundamentum morum in gentibus in ipsa corporis temperie, pro cæli aliarumque causarum varietate diversa, demonstravit. *Diss. de Fundam. mor. & morb. in gentibus.*

cum cerebro & nervis firmioribus, durioribus, ſiccioribus, adſtrictis, vis iudicandi & ratiocinandi vigere ſoleat: ut vere *Heraclitus* animas ſiccas prudentiſſimas eſſe dixerit, atque acu rem tetigerit ſagaciſſimus *des Cartes*, quando *Libr. de Method. S. VI. p. m. 56.* ſcribit: *Animus adeo a temperamento & organorum corporis diſpoſitione pendet, ut ſi ratio aliqua poſſit inveniri, quæ homines ſapientiores & ingenioſiores reddat, credam illam in Medicina quæri deberi:* quod uti perſpectum cognitumque habebant veteres, ita limatius & exquiſitius aliquid ſcripturi, helleboro ſeſe purgabant ante, humores noxios ſic educi poſſe rati, ne redundent & cerebrum infeſtent: unde *Carneades Academicus*, auctore *Gellio L. XVII. c. XV.* ſcripturus adverſus Stoici *Zenonis* libros, ſuperiora corporis helleboro candido purgavit, ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus ad domicilia usque animi redundaret, & conſtantiam vigoremque mentis labefaceret. Ex eadem ratione præſtantiſſimi ingenii vir, Excell. *Bergerus*, *Archiater Regius & Profeſſ. Med. apud Wittenbergenſes* celeberr. *de Commod. vit. ſobr. p. 33. Vitam*, inquit, *quam laudamus medicinam morum merito nominaveris, quia ut corpus temperatum ſervat & immune a vitiis ſuccorum, quæ ſunt radices perturbationum animi: ſic immunem animum a violentis motibus iſtis, aut minus eisdem obnoxium, hosque rationi obedientes reddit, nec quicquam in corpore gignit, vel relinquit, quod præſtantiam vigoremque mentis labefactare queat.*

Ingenium acuendi ratio in Medicina quærenda.

Vita ſobria morum medicina.

Animam vero, viciſſim in corpus effectus ſuos exerere, aut corporis determinatas actiones cogitationibus animæ exacte & confeſtim, & ita quidem reſpondere ac ſi anima influxu ſuo easdem produceret, eo minus dubium eſſe poterit, quo clarius experientia in motibus corporis a voluntatis arbitrio pendentibus id ipſum oſtendit. Eandem

Animæ affectus conſtitutionem corporis immutant.

dem cumprimis affectibus exagitatam, varios quoque in corpore concire & provocare motus, & quidem affectuum vehementiæ accommodatos & convenientes, corporisque constitutionem variare, & modo in melius, modo in deterius mutare, modo regem esse, ex mente *Senecæ*, modo tyrannum, evidenter perspectum habemus. confer. inprimis Excell. *Stahlii Dissertat. de Passionibus Animi corp. human. varie alterantibus*, nec non Clariss. *Christian. Iohann. Langii Dissertationes, de Animi commotion. vi medica, & de Mortuis ex affectibus Opp. T. III.* Quis enim non novit, quot & quantæ, ex animi, gaudio & lætitia recreati, contenta tranquillitate, utilitates, & quanta ex ægritudine animi incommoda & morbi in corpus redundent? *Iucunditas cordis*, inquit *Syracid. hæc est vita hominis & exultatio viri longævitas. Tristitia multos enecat. Iracundia & excandescentia fata accelerant. Solicitudo & cura senectutem ante diem inducunt. Ecclesiastic. XXX. 23.* Quis exploratum, aut, ex tot virorum usu medendi clarissimorum observationibus, perspectum non habet, quanta sit animi affectuum in valetudine & functionibus corporis immutandis, perturbandis, evertendis, & perturbatis sæpe ac præpeditis etiam restituendis potentia, ut non minus morbos graviores aliquando solvere, ac tales pariter ac mortem repentinam adferre compertissimum sit: & quantum animi agitationes immoderatæ corporis nostri integritatem convellant, labefactent atque vigorem ipsius evertant. Verissime *Democritus Milesius*: *Si corpus*, inquit, *animum in ius vocaret, haud futurum, ut muneris male administrati crimen effugeret.* Vt non sine causa experientissimi Medicorum, frequentiam morborum in hominibus præ brutis ex affectuum immoderatorum frequentia, (frequentia inquam, cum affectus aut

Frequentia morborum in homin. præ brutis.

aut ſimiles illis impulſus (*) etiam in bruta cadant, quos tamen, non ita frequenter experiuntur; quibus non æque ac homines indulgent, (**) deducant, atque hinc ſolum ſapientem, i. e. qui paſſionibus animi dominari easdemque non equidem, cum *Stoicis*, penitus extinguere, ſed, cum *Epicuro*, debite moderari novit, eſſe longævum, pluresque ira, terrore, mœrore, curis aliisque affectibus, quam gladio, vitio aëris, erroribus diætæ &c. interire, affirmare non vereantur. *Solus ſapiens eſt longævus.*

Exinde facile colligitur: ſicuti hominis vita partium illarum eſſentialium conſociatione mutuoque actionum commercio & harmonia continetur, ita incolumem illam, tranquillam atque felicem a commercio illo æquabili, &, mutuo in ſe agentium proportionato niſu, proficiſci. Simulque hinc intelligitur: quemadmodum artis Medicæ hic non contemnendæ partes ſunt, ita Philoſophiæ quoque Moralis non omnino nullas eſſe; quæ animi, ſicut illa corporis, motiones moderari atque compeſcere docet ad mentis & corporis æquilibrium, hic adeo neceſſarium, conſervandum: quæ affectus ita componere præcipit, ut non ſolum rationi militent eamque non invadant, ſed & motus corporeos incitando ſanitatem obfirment, non læfaciant. Adeoque, recte monente clariſſ. *Baglivo, Philoſ.* *Mentis & corporis æquilibr. Artis Med. & Philoſoph. moral. præceptis conſervandum.*

(*) Recte *Seneca: Muta animalia,* inquit, *humanis affectibus carent: habent autem ſimiles illis impulſus.* Et paulo poſt: *Capit ergo viſus ſpeciesque rerum, quibus ad impetus evocetur, ſed turbidas & confuſas. Ex eo procurſus illarum tumultusque vehementes ſunt; metus autem ſolicitudinesque vehementes non ſunt; ſed his quædam ſimilia. de Ira L. I. C. III.*

(**) *Verulam. de augm. Scient. L. IV. C. II. Adde,* inquit, *quod animalibus vivendi modus ſimplicior, affectusque, qui in corpus agant, pauciores & ad unum fere modum operantes.*

los. & Medic. in Archi-Lyc. Romano celeberr. *Canon. de Med. solidor. II.* qui ſtaticen motionum animi, per moralis Philoſophiæ canones, ad ſtaticen motuum corporis, quam in ſpecie *Sanctorius Sanctorii, in Medic. Statica*, eleganter tradidit, dirigere, accommodare viresque moventes utrinque in æquilibrio debitaque ad ſe invicem proportione ac harmonia conſervare non noverit, nec ſanitati, nec vitæ diuturnitati proſpicere noverit. Hoc æquilibrium, unde inæſtimabilis ille vitæ theſaurus, mentis pariter ac corporis ſanitas, imo ipſa vita pendet, fuſius aliquanto atque explanatius hic perſequi operæ pretium me facturum exiſtimavi. Verum, ut eo clarius id ipſum poſſit perſpici, animæ illa & corporis coniunctio, conſpiratio, harmonia, paulò curatius erit inſpicienda atque examinanda, nec non quomodo, quibus mediis & inſtrumentis, anima corporis actiones, in illa conſpiratione, moderetur, ab iisdemque viciſſim afficiatur & ſæpe perturbetur? dilucidius exponendum, ſi pauciſſimis ſaltem monuero, id quod ex dictis amplius obſcurum eſſe nequit: *æquilibrii* me vocabulo hic non uti in ſenſu ſtrictiori, ubi Mechanicis duorum corporum æquilibratorum quietem denotat, ſed latiori, quo certam motuum vel actionum proportionem ſignificat, idque conſenſu & auctoritate Philoſophorum & Medicorum ex recentioribus graviſſimorum.

Quid æquilibrii vocabulum hic denotet?

Illud igitur primo anatomica inveſtigatione exploratum perſpectumque habemus: omne corporis humani ſolidum ex canaliculis conicis & elaſticis, quos arterias vocamus, ex iisdemque propagatorum ductuum, in retis formam ſibi intextorum, filis coagmentari & quicquid in artificioſiſſima machina motuum & actionum obſervamus, in certa vaſorum ad ſe invicem & fluentium in iis humorum habitudine conſiſtere. Scilicet, exſurgunt e cordis muſcu-

Corpus noſtrum ex meris canalibus, ducta ex arteriis origine, reticuli in modum, ſibi intertextis, eſt conſtructum.

musculo binæ arteriæ, quæ in similes figura & motu ramos & minutim divisos ramulos abeuntes, frequenti propagine, per omnes corporis partes partiumque particulas, musculos, viscera, interque illa cor ipsum, membranas, &c. ita sparguntur & distribuuntur, ut maxima corporis pars inde contexatur. Sic corpus organicum sola contextione plurium diversi generis canalium, ducta ab arteriis origine, miro artificio coaptatorum & versus cor partim reflexorum, interspersa hinc inde pulpa & pinguedine, absolvitur. Arteriæ enim in exilissimos ramulos (*) divisæ, ubi partes

(*) Tam exiles in ramulos dividuntur arteriæ in corpore humano, ut in ultimis arteriolis perquirendis & corporis & mentis oculi, illique etiam optimis præsidiis & adminiculis instructi defatigentur & obstupescant. Si oculatissimi *Leuwenhoekii* observationibus fides habenda, ultimus arteriolæ ramusculus crassitie sua non excedit $\frac{1}{500}$ partem capilli. Quo posito & calculo rite subducto, haud difficulter rationem invenire licebit, quam habet ultima eiusmodi arteriola ad truncum arteriæ aortæ: quod eleganti demonstratione expeditum dederunt recentiores, qui inita subductaque ratione ostendunt, osculum arteriæ ultimæ sanguiferæ esse 500000. vicibus minus orificio arteriæ magnæ, & tamen, si comparetur cum vasculis excretoriis cutis, esse illius orificium osculo huius excretorii vasculi 25. vicibus maius, cum hoc ex dictis observationibus 12500000. vicibus minus sit orificio aortæ. Imo perpensis diligenter *Sanctorii*, *Leuwenhoekii* & *Wainewrighti*, *Angli*, observationibus, asseverare non verentur, dari in corpore humano canales tam parvos, & qui liquidum tam subtile & leve ferunt, ut, quamvis illud fluidum ex tali vasculo sine intermissione emanet, vix tamen unum eius granum spatio 178367 annorum ex eo effluere possit. Quæ si vera sunt, facile perspicere & iudicare licet, quam minima in primo fœtus humani rudimento dentur vascula. Demonstravit clar. *Boerhave*, calculo geometrico, ex assumtis observatis, tam exilia ibi reperiri vascula, (si omnia ut in adultis contineri admittamus,) quæ ne tantam qui-

Arteriæ in minutissimos ramulos dividuntur.

Exilissima in rudimento fœtus vascula.

partes ingrediuntur, cum tunica musculosa elaterem deponunt, figuraque mutata, cum reflexos venarum sanguinearum & serosarum, sive, ut communiter audiunt, lymphaticarum, tubulos constituunt, tum in glomeres convolutæ glandulas (*) & ex iisdem propagatos ductus secretorios & excretorios omniaque organa, variis hinc inde humorum præparationibus, depurationibus, secretionibus, quibus cum motu vita continetur, dicata, componunt. Inde cerebri duplex substantia, cinerea, uti vocant, glandulosa, ex complicationibus arteriolarum, & medullaris, canaliculosa, ex tenerrimis inde prodeuntibus ductibus conflata, originem cepit: quæ posterior in plurimas deinde nervosas coniugationes, hæque in tenuissima diductæ fila vel pansæ in membranas, per partes, sensuum motionumque organa & universum corporis habitum, ad necessarios usus, sapientissimo optimi Creatoris instituto, disper-

quidem habeant proportionem ad vascula minima corporis adulti, quorum tamen 409600000000. in quadrato pollicis continentur, quantam sabuli granum habet ad totum terrarum orbem.

Quid glandula? (*) Dum glandulas dico, apparatum dico sive congeriem peculiarem extremorum vasorum sanguineorum, vel peniculi in modum, ultra recurvos venularum ductus, porrectorum, ac filatim distractorum & distributorum, vel in glomerem admirabiliter contractorum & convolutorum, interiectis nervis, vasis lymphaticis & ductibus excretoriis ex vasis circumvolutis egredientibus, nec non interspersa substantia tomentosa, fibrosa, ex ultimis vasorum productionibus, filis apicibusque pulposis constante, quam nemo non agnoscit, & in cerebro quidem, ex innumeris bullulis quasi adiposis, sed minutissimis, conflatam esse, microscopiis suis, deprehendit *Leuwenhoekius*. Quo sensu hepar, renes, cerebrum & similia glandulosa cum ratione dici posse existimo, quamvis probe norim dissensum hic esse inter illos, qui *Malpighii* & qui *Ruyschii* rationibus & auctoritate moventur.

diſperguntur. Inde renum & teſticulorum cerebro in plurimis ſimilium contextio. Inde pancreatis, glandularum ſalivalium omnesque oris, oculorum, totius canalis alimentorum, cutis aliarumque partium glanduloſarum tubuli, (ſola ſi exceperimus vaſa bilaria, quæ non equidem immediate, mediate tamen intervenientibus venæ portæ propaginibus, ab arteriarum ramulis orta, cum his ipſis portæ & venæ cavæ ſurculis, ingens hepatis viſcus componunt) enaſcuntur. Vt adeo corpus animale nil niſi congeries ſit vaſorum & veſicularum, quæ ab una origine corde ſcil. provenientia, ad illud continuo filo reducuntur, miroque ductuum contextu connexa operationibus cum vitalibus & genitalibus, tum animalibus ſerviunt. Confer. celeberr. ***Ruyſchii Epiſtol. & Theſaur. Anat.*** nec non, qui pari hæc, cum ſolida & evidenti veritate, elegantia tradidit, Excell. ***Bergeri Phyſiol. Med.***

Vt vero id, quicquid hic eſt muneris, rite exſequatur illa continua ſerie cohærens vaſorum & filamentorum nervoſorum contextio, ſuccis quibusdam atque partibus fluidis diverſi generis repleta & animata eſt, quorum mutuo, reciproco & proportionato influxu, omnes mirificæ corporis actiones, motu non interrupto, mechanica neceſſitate procedunt, & quidem vi illius cordis cum cerebro huiusque cum illo & utriusque cum toto corpore, iſtius miniſterio texti vaſorum &, qui iis continentur, preſſionis humorum, conſenſus & communionis. *Fluida animant machinam.*

Vt enim ab ovo, quod aiunt, primaque origine rem repetam: id mihi primo concedi poſtulo, quod plerique ſanioris Phyſiologiæ periti admittunt: embryonem, omnibus ſuis partibus abſolutum, ſub exili mole, in ovulo (*) deli-

(*) Equidem ſat ſcio, repertos fuiſſe & reperiri adhuc, quibus hæc

deliteſcere nihilque in illo ad vitales actiones inchoandas deſiderari quam motum. Cum vero motus ſupponat movens

---

Sunt qui generat. ex ovo impugnant,

hæc ſententia, tot graviſſimorum & experientiſſimorum naturæ ſcrutatorum, *Stenonis, van Horne, Malpighii, Graaffii, Schwammerdami, Drelincurtii, Kerckringii, Peyeri, Wepferi, Perraultii, Bartholini Fil. Nuckii, Ruyſchii,* aliorumque plurium teſtium oculatorum conſenſu & obſervationibus confirmata, nondum extra omne dubium collocata videtur. Propoſuit, inter alios, dubia quædam erudita vir doctiſſimus *Phil. Iacob. Hartmannus; Phil. & Med. Prof. Regiomontanus, Exercit. Anat. propon. dubia de generat. viviparorum ex ovo, Ann. 1669. in lucem emiſſa.* Propoſuit etiam Clar. *Mery* Academiæ Reg. Scient. Gallicæ dubia & difficultates contra ſyſtema de ovulis. Verum uti prioris illa & aliorum tanti non fuere, ut ſagaciores & accuratiores indagatores & ſectionum Magiſtros a recepta &

ſed fruſtra.

quotidianis experimentis roborata ſententia dimovere potuerint, ita huius poſterioris, qui non ovula membranis involuta in ovario contineri, ſed cellulas ſaltem adeſſe liquore repletas, inſeparabiles, nullo modo ova dicendas, contendit, difficultates eleganter expedivit Clar. *Littre,* quando non ſolum ovula ſuis membranis involuta, a membrana communi ſoluta, vaſculis ſuis ſanguineis ſatis notabilibus donata, ex ovario ad dimidiam partem prominentia ac preſſione ovarii propulſa, ſed etiam in quodam ovulo, cum ovario adhuc cohærente, fœtum integrum tres lineas longum & unam cum dimidia craſſum, interveniente chorda, tertiam lineæ partem craſſitie & lineam cum dimidia longitudine æquante, membranis veſiculæ annexum, liquori claro & mucilaginoſo innatantem evidenter aliis applaudentibus demonſtravit. vid. *Hiſtoire de l'Acad. Royal. des Scienc. Ann. 1701. pag. 49. & ſeq.* & *dans les Memoires de cette année p. 143.* Quo faciunt inprimis etiam de conceptu in ovario memorabilis hiſtoria, in *Zodiac. Medic. Gall. Ann. IV. Menſ. Ianuar. obſerv. 4. pag. 7.* expoſita, aliæque frequentes extra uterum conceptiones in *Tranſact. Phil. Angl. Novell. Reipubl. Literar.* hinc inde occurrentes: ut analogiam inter viventia generalem, ab iis, qui res & viam naturæ intimius norunt, toties inculcatam, quæ potiſſimum huic ſyſtemati

favere

movens, & nihil moveatur a ſe ipſo, non ſine ratione motorem hic perquirimus, qui fluidorum, in tenerrimis vaſcu-

---

favere & ſimile plantarum, animalium oviparorum & viviparorum principium exigere videtur, iam reticeam. Nec eſt quod celeb. *Leuwenhœkii* opinio nos hic moretur, aut multum nobis negotii faceſſat, quando fœtus hominum & animalium non ex ovulis, quæ plane reiicit eademque veſiculas quasdam eſſe exiſtimat, exonerationi partium quarundam dicatas, ſed vermibus in ſemine virili deprehenſis, omnia rudimenta & totam delineationem futuri fœtus, eiusque ſexus, in ſe continentibus, (ut nulla præterea formatione indigeant, quam ut unus eorum in unum vel alterum uteri muliebris receptaculum, quod ob exilitatem ſuam omnem oculorum aciem ſubterfugiat, nutritioni ac conſervationi ſuæ appropriatum, incidat ibique ſe annectat, donec fotus & enutritus, & calore expanſus ſenſim ſenſimque viſui ſe ſub forma embryonis ſiſtat, pellicula eius in ſecundinas abeunte,) generari ſuſtinet. vid. *Anatom. ſ. interior. rerum ope Microſcop. detect. P. II. p. 25. 150. 161. 168.* Enimvero cum hæc ſententia nulli ſtabili fundamento, ſed ſoli ſimilitudini molis & figuræ horum vermiculorum cum mole & figura carinæ pulli in ovo a *Malpighio de ovo incubat.* deſcriptæ innitatur, multisque difficultatibus graviſſimis impedita ſit: cum omnium animalium ſemen in uterum non iniiciatur; ovariis exſectis fœminæ ſterileſcant; in uniparis & pauciparis æque numeroſa exiſtant iſta animalia, ac in multiparis; cumque quod paulo ante iam diximus, exempla habeamus non una conceptuum extra uterum in ovario, abdomine, & quæ ſunt alia, quæ eandem oppugnant, non contemnenda argumenta; maiori facilitate reiicitur, quam aſſeritur: unde vehementius in eandem invehitur doctiſſimus *Schelhammerus*, & exclamat: *O nobilem proſapiam! homo ex verme ortum habet. de Augment. & Decrement. ſcientiar. p. 22.* Equidem non deſunt plures ex recentioribus præſtantiſſimæ eruditionis viri, qui, quum crudiorem illam *Leuwenhœkii* ſententiam locum habere nullo modo poſſe, probe perſpicerent, vermiculis tamen iſtis multas difficultates, in generationis negotio, ſe ſuperare poſſe crederent, ut antedictos ſcopulos ex parte evitarent, ſyſte-

Leuvvenhœkii de generat. opinio veritati minus eſt conſentanea.

vaſculorum ſtaminibus contentorum, primordia excitet, pellat & vitalis illius circuli, quem connexa vaſorum contextio

---

Syſtema ovarii cum ſyſtemate vermiculorum coniunctum.

ſyſtema de ovario cum *Leuwenhœkii* vermiculis, more eclectico, ſatis convenienter coniungi poſſe exiſtimarunt: hinc ovula matura, per tubam ſub carnali conſuetudine, voluptatis ſenſu, intenſam & ovario applicatam, ad uterum delata, vermiculo ſeminis maſculini vel in utero vel in tuba occurrenti, vel etiam per tubam ad ovarium prorepenti, (quandoquidem ex binis Clar. *Ruyſchii* obſervationibus, *Theſaur. Anatom. V. Adverſar. Anat. Decad. I. p. 3.* collatis cum *Fallopii, Verheyeni, Leuwenhœkii* experientia, apertum ſit, ſemen maſculinum poſt congreſſum venereum in copia in utero & ipſis quoque tubis reperiri) convenientem nidum præbere & ſine ovis in fœminis animalcula in homines & animalia mutari non poſſe, contendunt, atque huic hypotheſi magnam probabilitatis ſpeciem ex eo accedere putant, quod plura phænomena in negotio generationis hominum, & plurium animalium, commode ex eadem deduci queant, (quemadmodum *D. Georg. Gardenius de Aberdeen in Theor. generat.* primam de Meſſia prophetiam novam ex iſta lucem accipere arbitratur, quando Salvator vocatur ſemen mulieris, cum omnes homines reliqui, ſecundum hypotheſin, ſint ſemen viri; vid. *Collect. præcipuor. quorund. naturæ phænom. a maximis huius ævi Philoſoph. explicator. &c. Londini 1708. edit.*) Interea, licet exiſtentiam eiusmodi vermiculorum in ſemine maſculino negare, totque teſtium oculatorum fidem dubiam facere tanto minus poſſim, quanto evidentius ipſe, melioris notæ microſcopiis, eadem oculis uſurpavi, nondum tamen mihi ſatis cauſæ eſſe arbitror, quamobrem in hisce animalculis corporis humani & animalium latere ſtamina eaque prima eorum eſſe rudimenta, mihi perſuadere debeam. Non vacat, nec huius loci eſt, omnia, quæ huc pertinent, momenta excutere; illud ſaltem addidiſſe licebit. Ovulum, ad quod unica ſaltem exigua guttula ſeminis maſculini craſſioris pertingit, pluribus animalculis circumfuſum eſt. Cur non plura ex iſtis, præter unicum, ſe in nidum illum accommodatum recipiunt? ſi quis enim ovulorum & vermium magnitudinem expenderit, facile perſpiciet, & illa plures vermiculos capere, & ex

Difficultates, quibus impeditum eſt.

textio mōnſtrat, initium faciat. Atque hic nullus eſt alius, quam fluidum ſubtiliſſimum ſeminale ſub congreſſu venereo

ex his pluribus aditum patere, etiamſi unicum ſaltem in ovulo foraminulum, & illud quidem valvula inſtructum, illis qui talia confingunt, largiamur. Valvula enim, ex ipſa illorum auctorum mente, tantum regreſſum animalculo hic captivo impedit, ingreſſu ſodalibus haud denegato, niſi hi infortunio illius captivi, quod clariſſimus quidam vir profiteri non erubeſcit, deterriti mature periculum effugiant; aut, niſi cum Medico Pariſienſi apud Clar. *Andry de la Generation des vers dans le corps de l'homme*, indomita quodlibet fingendi licentia, nobis imaginari velimus, in quolibet ovulo fœmineo eſſe foraminulum quoddam, valvula ſua inſtructum, magnitudini eiusmodi vermiculi ſpermatici exacte reſpondens, in quod dum animalculum quoddam ex iis, quæ circum repunt, curioſitatis gratia ingreditur, & propter loci anguſtiam ſe revolvere nequit, cauda ſua, tanquam obice, valvulam exacte claudit, ut reliquis nullus intrandi locus ſit. Sed quis acceſſerit hiſce fabulis? Deinde, ex tot millibus animalculis, in quibus ſingulis totum omnibusque ſuis partibus, licet exilibus, abſolutum hominem abſconditum eſſe dicunt, dum unum emergit, adoleſcit, hominisque forma ſe ſiſtit, reliqua omnia pereunt. Quid opus hic tam ſtupendæ multitudinis hominum clade, ut unus triumphet? itane vita unius hominis tot millium, quin & millenorum millium, ex ſententia *Leuwenhœkii* aliorumque, diſperditione conſtabit? Neque firma ſatis videtur conſequentia: deprehenduntur in humore ſeminali maſculino fœcundo, ea ætate, qua homines ad generationem idonei ſunt, vermiculi, qui ante & poſt illam ætatem, itemque in ſterilibus aut morbis partium genitalium affectis, deficiunt & obſervari nequeunt; ergo iſti vermiculi ſunt illa ipſa primordia & rudimenta hominum; cum certæ in ſemine fœcundo reperiantur conditiones, cum quibus in liquore blando, viſcoſo, maximo artificio reſoluto, lentiſſime moto & in anguſtiis, gyris, receſſibus quaſi ſtagnante, calore foto, facillime vermes poſſint provenire. Humores corporis noſtri vermiculorum ſeminiis refertos eſſe, vix quiſquam in dubium vocabit, & ubicunque

Vermes eſſe rudimenta fœtuum probari nequit.

nereo a Patre profectum & per *Fallopii* tubas, (*) sub æstu nempe venereo turgidas, tensas, atque sublatas, musculosis-

cunque humores, inprimis viscidiores, in corpore stagnant, accumulantur, atque calore resolvuntur, haud raro vermes excluduntur. Quid mirum igitur, quod in testibus & vesiculis seminalibus, ubi hæc ovula liquori lentiori, sed maxime tamen resoluto, quod odor fracidus, quem illæ partes exspirant, satis docet, inclusa hærent, ubi lentissimus motus & stagnatio adest, calor fovet, nec materia, quæ animalcula nutrire potest, deficit, vermiculi tales excludantur. Ante ætatem generationi habilem, & post illam, itemque in sterilitate, morbis, elaboratio, resolutio, attenuatio, spirituascentia, ad semen fœcundum requisita, deest: ergo nec habile est ad gignendum, dum non potest ova subtilibus effluviis & halitibus actuare & fœcundare: nec aptum ad excludendos vermes, quorum proventus ab hac spirituascentia pendet, cumque eadem stat & cadit. Num illi vermiculi ad coitum ardentius stimulent, quæ celeb. *Listeri* fuit opinio, & voluptatis sensum in fœminis etiam augeant, non temere quidem dixerim: probabilitatis tamen quandam speciem huic sententiæ conciliare videtur celeberr. *Paulini* observatio in *Miscell. Nat. Cur. Decad. II. A. V. Append. p. 6.*

Vnde vermes in semine fœcundo?

(*) Per has enim multo facilior est aditus, quam, quod multi volunt, per porosam uteri substantiam, aut quæ *Caspar. Bartholini, Thom. Fil.* sententia est, per ipsam massam sanguineam. Quæ quidem posterior sententia ex eo quoque admitti nequit, quod spiritus & semen masculinum, si sanguinem ingrederetur, multum sic immutaretur, dilueretur, difflaretur, antequam ad ovaria perveniret. Phænomena illa in gravidis permolesta, sub initium graviditatis observari solita (quorum facilem inde deductionem, tanquam fundamentum, huic sententiæ substernit) non proveniunt, nec facile provenire possunt a masculino illo blando spiritu in sanguinem diffuso, sed potius ab affectione uteri & congestione sanguinis substantiam ipsius nervosam tendente, diducente, irritante; quo ipso, tracto in consensum genere nervoso, horror febrilis, vomitus, dolores capitis, aliaque sympromata affectiones uterinas plerumque comitantia facillime exoriuntur.

Seminis virilis aura non defertur ad ovarium per massam sanguineam.

losisque fimbriis suis, manus adinstar expansis, in ambitum ovariorum se diffundentes, illaque veluti digitis comprehendentes & comprimentes, ad ovulum delatum; quod, tanquam penetrabile, incitatum, actuosum, mobilissimum, motum cum succorum primordiis communicat, atque ita prima moti in embryone liquidi punctique in ovulo salientis causa existit. Et hac ipsa motuum instauratione conceptio absolvitur.

Conceptio nihil aliud est quam motuum instauratio.

Quamprimum enim, illo accedente fluido seminali mobilissimo, fluida radicalia in ovulo delitescentia excitantur & turgescunt, exiguum corpusculum animatur, vascula intumescnnt, fibrillæ tenduntur, corculum contrahitur, & postea, pro elegantissima partium solidarum a diversi generis fluidis animatarum mechanica, vitales illi motus, qui, fotu & succis matris, quamdiu ab ea fœtus pendet, tandemque aëre & victu subveniente magis exsuscitantur, continens sui ipsius causa sunt. Posita nempe dicta modo partium & vasorum connexione & qui his vehuntur succorum, inprimis vero cerebri cum corde ac omnibus corporis membris, communione, non potest non reciproca cordis contractio & dilatatio semel inchoata, &, qui, inde pendet, sanguinis in circulum motus in corpore sano continuare. Corde enim contracto & pulsante, sanguis cavo eius exprimitur & eliditur, vi, suo momento, resistentiam totius sanguinis, arteriarum & fasciarum earundem dilatationem impedientium, quæ, secundum demonstrationem *I. A. Borelli de Mot. Animal. P. II. Propos. LXXIII.* maior est vi 180000. librarum, superante. (*) Arteriæ dila-

Cordis, sanguinem elidentis, maxima vis.

(*) Vis cordis tanta est, ut absolute & immediate, absque machina, pondus maius 3000 librarum superet, vid. laudatus *Borellus l. c. Propos. LXVII.* & cum resistentiæ in unum collectæ, monente lau-

Vis cordis.

dilatatæ, quamprimum cauſa dilatationis remittit, vi elateris ſui reſiliunt & ſanguinem contentum undique compri-

laudatiſſimo auctore, ſexagecuplæ ſint virium cordis abſolutarum, hinc ut illæ ſuperentur vis machinæ accedit, quam eleganter exponit doctiſſimus vir *l. c.* Reſiſtentiæ hic iudicantur, a mole fluidorum corporis, a conditionibus viarum & canalium, per quas propelli debent humores, & a pondere ac niſu aëris nos ambientis. Fluidorum molem multo maiorem eſſe quam hactenus credidimus, demonſtrare allaborat *Iacobus Keilius*, *in te Account of Animal Secretion, the quantity of Blood in the human Body and Muſcular motion*, libello elegantiſſimis demonſtrationibus referto. Oſtendit nempe 127. libras, Anglicas puta, humorum in corpore contineri, ſi corpus ponderat 160. Canales pro quantitate, numero, inflexione & incurvatione, itemque complicatione in plexus, areolas, retia & tortuoſos glomeres, (quæ tanta eſt in viſceribus corporis, ut ex intelligentibus & curioſis ſint qui credant, ſi tota complicatio vaſorum in viſceribus explicari, & in filamenta reſolvi poſſet, tantæ hæc futura longitudinis ut univerſum terrarum orbem continuo filo cingere poſſint;) plus vel minus reſiſtentiæ pariunt. Aëris preſſio tanta eſt, quanta futura eſſet aquæ, ſi ad altitudinem 32. ad 35. pedum, aut mercurii vivi, ſi ad 28. pollices undiquaque nobis incumberet & nos premeret: proinde ex hiſce datis facile invenitur. Scilicet ſupputante Clar. *Wainewright* in libello, cui titulus *Mechanical account of the Non Naturals*, unusquisque pes quadratus ſuperficiei corporis noſtri premitur pondere aëris æquali 35. pedibus cubicis aquæ, ſecundum *Galilæum*, vel 28. pollicibus mercurii vivi. Iam pes cubicus aquæ, experientia definiente, pondere æquat 76. libras Anglicas. Pes igitur quadratus in ſuperficie corporis noſtri ſuſtinet pondus aëris 2660. librarum; nam $76 \times 35 = 2660$. Tota vero corporis adulti ſuperficies continet circiter 15. pedes quadratos, adeoque, cum $2660 \times 15 = 39900$: toti corpori incumbit pondus 39900. librarum. Quodſi iam vel in locis altioribus, vel tempore pluvioſo mercurius in Barometro ad 3 pollices deſcendat, ſubducto calculo apparebit, preſſionem hanc minutam eſſe 3982. libris. Quo pon-

Reſiſtentia.

Aëris prementis pondus ad calculos vocatum.

primentes, cum ob mechanicum valvularum cordis artificium regredi non possit, per vasa minima intra musculos & vi-

---

pondere vel ex parte remoto, necessario vis in corpore renitens increscit, partes solidæ in tensione sua remittunt, fluida rarescunt, expanduntur & magna sui parte augentur: unde insignis illa corporis tum in locis altioribus, tum quando exhalationes nubiferæ aërem perturbant, &

- - - *madidis Notus evolat alis,*

mutatio, pro diversa corporum constitutione, aliarumque causarum concursu magis vel minus sensibilis. Inde scilicet ratio perspicitur anxietatis præcordiorum & lipothymiæ, vomitus violenti & sanguinei, vid. *Boyle Nov. Exp. Phys. Mech. p. 117.* in altissimis montibus obrepentis. Nec difficile est hinc intelligere: cur aër adversus non tantum in corpus, sed & in animum grassetur, & cur corporum humanorum pariter ac animalium promta mobilitas, alacritas & animi humani serenitas ab aëris constitutione & serenitate pendere videatur, ita ut cælo existente humido & austrino corpus torpeat, animus marceat & moveri loquique pigeat: ut in hominibus æque ac animalibus,

Imminentis & præsentis tempest. præsagia & molestiæ in corpore animali.

- - - ubi tempestas & cæli mobilis humor
Mutavere vias & Iupiter humidus austris
Densat, erant quæ rara modo, & quæ densa relaxat;
Vertuntur species animorum & pectore motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt.

Virg. Georg. I. Quo pertinet, quod de incolis insularum Flandricarum, quas vulgo Azores dicunt, notavit *Libertus Fromondus, Meteor. L. IV. C. VIII. Art. II. austro spirante homines manifeste morosissimos ambulare, pueros tristes & lugubres desidere domi, nec solemnes amplius eorum lusus aut cœtus apparere in plateis, qui Borea reflante statim ad alacritatem redeunt & in publicum refunduntur.* Vt hoc sensu apposite *plumbeus auster* Poëtis vocetur. *Auster enim caliginem inducit, caput gravat, pigros & languidos reddit. Austrinæ constitutiones dissolvunt corpora & humectant, auditum obtundunt, capita aggravant & vertigines faciunt oculis, atque corporibus difficilem motum*

Effectus constitutionis aëris austrinæ.

Vis arteriarum resilientium.

& viſcera faſciis ſuis & vi machinæ non minus conſtricta, in venas & ex illis, adiuvante nervorum tonica conſtrictione, in

motum præſtant, & alvos humectant. Hippocrat. L. III. Aphor. 5. & 17. *Ab auſtro, qui aërem compactum liquat ac ſolvit*, l. de aëre, loc. & aquis, *ſolvi ac humectari cerebrum & venas laxiores reddi*, idem obſervavit vener. ſenex, de morb. ſacro, *cum aquilonia conſtitutiones corpora denſent, contendant, & bene mobilia, coloratiora & melius audientia faciant.* S. III. Aph. 17. *Aquilo enim aërem compingit, turbatum ac nebuloſum excernit & illuſtriorem ac pellucidum facit.* de morb. ſacr. *Aquilo frigidus ac ſiccus, omnes corporis conſumit ſuperfluitates: robur autem adiicit ipſis inſtrumentis, ex eo quod adſtringit & in unum denſando ſubſtantiam.* Galenus comment. ad hunc aphor. Vnde *Aquilone flante omnia meliora fiunt, & ſecundum naturæ & animæ operationes & Aquilo facit omnes ſenſus bonos.* idem ibid. Exinde quoque perſpicitur, cur ſubiecta teneriora, cauſſaria & læſionibus variis debilitata imminentes tempeſtates adverſas ac turbulentas, Barometri adinſtar, accurato oſtendant indice & anxietatibus modo, pectoris anguſtiis, lipothymiis, vomitionibus, cephalalgiis, ſternutationibus, hæmorrhagiis (quod proprio exemplo confirmat doctiſſimus *Pitcarnius*, qui Ao. 1687. menſe Februario, cælo quidem ſereno, ſed ſole rubente, præcedente inſolita virium imbecillitate ac ſenſu gravi, cum in Baroſcopio altius ſubſediſſet hydrargyrum, quam alias unquam id deſcendere aut Ipſi aut D. *Gregorio* (cuius in ædibus aſſervabatur) viſum fuerat, ſubitum habuit, ſine manifeſta cauſa ſanguinis e naribus profluvium, & mortuus eodem tempore conciderat *D. Cockburne, Profeſſ. Philoſoph.* ex repentina ſanguinis e pulmone eruptione, vid. *Rich. Mead. de Imper. Sol. & Lun. in corpor. human. & Morbis inde oriundis C. II. p. 368.*) diarrhœis, dolore ac pruritu artuum, rheumatiſmis & ſimilibus vexentur, donec adverſa humidi & caliginoſi cæli adſpiratio illimi & grata ſerenitate fuerit permutata? conf. *Piſo, de morb. ex coll. ſeroſ. S. II. P. II. p. 91.* Præterea & illud ex dictis clariſſime deducitur: cur pro diverſitate conſtitutionis corporum, rigidioris, flexilioris &c. alia, ad vitam ſine moleſtia & incommodis protrahendam, loca altiora, alia e contrario loca & regiones profundiores expoſcant & variis in caſibus ibidem medelam inveniant.

in auriculas patentes, vi, quæ, eodem demonſtrante laudato *Borello* 135000 librarum pondus exſuperat, propellunt.

Dum itaque cordis impulſus per arteriolarum infinitos fere ramulos, omnes totius corporis partes, in ſpecie, per ramos carotides & cervicales, illam potiſſimum cerebri ex glomeribus arteriolarum contextam partem, quam corticalem & glanduloſam appellamus eandemque cingentes membranas implet, non poteſt non fieri, quin arteriæ dilatatæ, pulſantes, partes vicinas, in ſpecie molliores cerebri, premant atque depoſitam ibi puriorem & mobiliorem lymphæ (*) partem in exiliſſimas fibrillas, ex quibus medulla conflata eſt, indeque propagatos nervorum funiculos, exprimant & rivulis continuo ſuccedentibus ad omnes partes, muſculos inprimis, in quos nervi ultimo deſinunt, vid. experientiſſ. *Wepfer. de Cicut. Aquat. C. VIII. p. 87.* Clar. *Boerhave Inſtit. Medic. §. 395.* & inter illos ad vali-

Arteriæ in cerebro, cordis impulſu, a ſanguine dilatatæ, cerebrum premunt & ita ſubtile fluidum ibi ſecretum in nervos & partes propellunt.

(*) Secerni omnino ac transmitti per exiliſſima, canaliculata tamen, glomerum corticis cerebri ſtamina, ſubactiorem atque defæcatiſſimam lymphæ partem, tenuis ſub ſpecie vaporis & halitus, ac per nervos, roris inſtar mitiſſimi, undiquaque derivari & ratio apertiſſime colligit, & experientia evidentiſſimis oculorum conſpicientium ac digitorum non dubitantium teſtimoniis confirmat. Enimvero excellens, exquiſita & ad ſecretoriam actionem manifeſte directa cerebri compages, ſtructura & ſingularis nexus quid aliud, quam ſecretionem hic peragendam, innuunt? Tot tantorumque vaſorum, ineffabili ſapientiſſimi Conditoris providentia, per extimam cerebri ſuperficiem diſtributorum & in interiorem ſubſtantiam ſe inſinuantium propagines quid aliud, non dicam loquuntur, ſed clamant, quam non privato, ſed publico muneri hanc vaſorum intra cerebri ſulcos multitudinem famulari, nec ſoli cerebro alendo, ſed univerſo corpori tot vaſa deſtinari? vid. *du Hamel. de Corp. animat. L. 3. c. 4.*

Secernitur aliquid in cerebro & per nervos diſtribuitur.

validiſſimum cordis muſculum leni placidoque motu propellant. Quo ipſo accidit, ut, dum cor interea, reſilientibus,

c.4.§.6. Hisce vaſis, quod ex *Malpighii* obſervatione, *de Cerebr.* conſtat, ſi fiat cum univerſo corpore comparatio, ſi non dimidia, ſaltem tertia pars ſanguinis in caput fertur. Quem in finem? Quid hic tanta copia? Non ſane ad nutritionem aut tonum, tenſionem ac vitam cerebri, utpote quæ tantum ſanguinis non exigere videntur. Ergo ad uſum univerſalem totique corpori communem, & quod ſtructura ac conformatio partium docet ad ſubminiſtrandum ſecretioni fluidi nervorum nobiliſſimæ materiam, in innumeros per totius corporis ambitum diſperſos ramulos iugi motu & influxu derivandam. Tendi nervos atque intendi ac pandi apud omnes in confeſſo eſt. Vnde vero illa tenſio? Non enim ex ſeipſis eam atque connatam habent, cum ſucceſſive, cum corpore creſcente, increſcat atque ſalva nervorum ſtructura a variis cauſis externis modo intendatur, modo imminuatur. Forte ab anima, ſine intercedente ullo medio, vivida intenſione nervos tendente. Ita vero hæc ipſa nervorum tenſio partiumque tonus ab arbitratu noſtro penderet: quod nemo, experientia reclamante, dixerit. Quid quod illi quoque nervi aut partes nervoſæ tenſæ ſint, quæ actionibus vitalibus deſtinatæ, ac animæ imperio exemtæ ſunt, cum anima etiam invita ac repugnante elaterem ſuum exerant atque actiones perficiant. Vt ſic ab anima tenſionem per ſe provenire ne quidem probabile ſit. Ergo, quod ex origine nervorum & reliquis, quæ circumſtant conditionibus clariſſimum eſt, neceſſario proficiſci debet a ſucco ſuperne ex cerebro affluente. Id quod ex eo confirmatur, quod in læſionibus & reſolutionibus nervorum medicamenta externa balſamica non tam ipſi parti læſæ, quam potius origini nervorum, nuchæ, ſpinali medullæ magno cum fructu applicari ſoleant, quod *Galenus* notabili hiſtoria *L. de Loc. Aff.* eleganter docuit, ubi digitorum ſenſum motumve amiſſum, abiectis, quæ digitis ipſis applicaverat alius, remediis, appoſito ad ſpinam convenienti medicamento, feliciter & cum adſtantium admiratione ſe reſtituiſſe teſtatur. Taceo hic quæ alii de nervis inciſis, oppreſſis, contuſis, inflammatis, laqueo interceptis, ſcirrho affectis,

tibus, ob ſanguinem, arteriarum ſyſtole, in arterias coronarias intruſum, eius fibris, a ſyſtole ad diaſtolen rediit (quod

ctis, ad huius rei confirmationem adferunt. Taceo illuſtre argumentum Bellino-Bohnianum, ſive experimentum, quod Excell. *Bohnius*, monente Clar. *Bellino*, aliquoties in nervis phrenicis ligatura inſtituit, atque peculiari programmate, quo ad publicas demonſtrationes anatomicas invitabat, cum orbe erudito communicavit. conf. Clar. *Ortlobii, Præfat. ad Dan. Tauvry Nov. Anatom. a Geudero latinitat. donatam.* De ſenſuum fide ſaltem hic addo: Poſſe in cerebri fibris, ſpeciatim ipſa ſubſtantia medullari diſſecta, & plurimis nervis inciſis ac leniter preſſis humiditatem & ſuccum, laticem tenuiſſimum, tenuiorem, ſpiſſiorem, quamvis, ob nervorum ſingularem ſtructuram parcius emiſſum, qui tamen in ægritudine cerebri male affecti ſæpe, quoad copiam, multum augetur, oculis, cumprimis microſcopiis armatis, conſpici & digitis palpari. Teſtis eſt experientia. vid. Clar. *Boerhave Inſtitut. Medic.* §. 274. Teſtes virorum graviſſimorum ac perſpicaciſſimorum oculatæ manus. *Malpighius* ſectis extremorum nervorum tubulis, ubi in ultimas ſolvuntur propagines, ſuccum emiſſum ſæpiſſime vidit. *In cauda bovis*, inquit, *Op. poſth. p. 27. & ſimilium hinc inde nervus excurrit, tribus vel quatuor fiſtulis coagmentatus; in his itaque facta extremi digiti ungue compreſſione, humoris motus intra exaratas fiſtulas contenti deprehenditur & ſucceſſiva turgentia, qui tandem per excitatum foramen exit, terebinthinæ inſtar; fluidus enim eſt & glutinoſus.* Illuſtris *Brunnerus* inciſos nervos digitorum apicibus humiditatem unctuoſam palpandam præbere teſtatur *Diatrib. de Lymph. & gen. Pancr. uſ. p. 141.* & *de Gland. Duoden. ſ. Pancr. ſecundar. p. 711. Nec eſt,* inquit, *quod quis fluidum per nervos neget, qui attentius conſideraverit canaliculos, quibus conſtat faſciculus quivis inſignior; qui quidem canaliculi nunquam non aliquid fluidi vehere, quin ob id in œconomia naturali facti eſſe videntur. Inſuper diſſecti & preſſi fortius, fluidum quod vehunt indaganti haud negant, & liquor unde unde exſudare conſpicitur.* Sic quoque Excell. *Bergerus* plus vice ſimplici ſuccum fibras nervorum rigantem ſe conſpexiſſe & aliis oſtendiſſe memorat, *de Nat. Hum.* pag.

Succus nerveus conſpici poteſt & palpari.

(quod eleganti demonſtratione expeditum dedit *Chriſtian. Stræm, Nov. Theor. mot. reciproc. Mach. animal. iuxta ætern. motuum Leges, Propoſ. V.*) & ex venis per auriculas contractas novum ſanguinem recepit, illius influxu ſucci nervoſi mox iterum contrahatur. Hisque reciprocis cordis & auricularum arteriarumque ſynchronis contractionibus, iugi circuitu, humores in orbem pelluntur, omnesque ab illo vitali circulo, cui alterni cordis motus & præſunt & debentur, pendentes actiones mirando non ſatis organorum apparatu & conſenſu perficiuntur.

Cuius influxu cor denuo contrahitur.

Cum itaque omnes totius corporis partes ex productionibus vaſculorum & nervorum reticuli in modum contextæ ſint, atque influxu illo alterno continuo fluidi ſanguinei & nervorum ſucci diverſa ratione tendantur; non poteſt, non textum nervoſum arterioſo & hoc viciſſim illi obluctari, atque ita utriusque reciprocus oriri motus, quo, modo ſanguinis impetu, modo nervorum a ſucco influente rite tenſorum exſuperante elatere, æquilibrium alternis vicibus

Textum nervoſum & arterioſum ſibi mutuo obluctantur.

pag. 170. Nec adeo mirum videri debet, quod non in omnibus indiſcriminatim nervis ſuccus hic æque facile conſpiciatur aut palpetur, cum idem in plantarum ſtipitibus durioribus, nec non teſticulorum animalium tortuoſis ductibus, per quos tamen ſuccum transire extra omne dubium eſt, obtineat. Si ſuccus ſenſibilis in nervis palpatur, cur non & ros ac halitus inſenſibilis tranſire poſſet? Ex quibus palam perſpicimus, quod ea, quæ de commentitiis nervorum fluidi proprietatibus & motionibus, nec non de nomine ſpirituum recte monuerunt recentiores, ipſius exiſtentiæ fraudi eſſe nec poſſint nec debeant; tantum abeſt, ut cum nomine aut affictis proprietatibus res ipſa riſu explodenda ſit. Rectiſſime hoc expendit doctiſſimus Gallus *Dan. Tauvry*, qui, cum communem de ſpiritibus animalibus doctrinam valde dubiam reddidiſſet, ſe tamen non dubitare profitetur, *in cerebro ſecerni lympham puram & ſubtilem, quæ ratione quadam inſenſibili a nervis imbibatur illosque rigidos efficiat. Nov. Anatom. ratiocin. illuſtr. pag. 302.*

vicibus perit & restituitur. Ita, quod modo explicui, cordis continuus ac reciprocus motus alterno sanguinis in arterias coronarias & fluidi nervorum in fibras nervosas & musculosas ingressu absolvitur. Sic musculis musculosisque & nervosis, per partes dispersis, fibris, alterno nervorum liquidi & sanguinis, in vasculis interspersis, illi obnitentis, influxu, ad mediocritatis & naturæ leges constrictis & relaxatis, sanguinis lymphæque motus artificiosa compressione promovetur: ut hac ratione succi nervorum influxus, nervos intendens, sanguinis impetuose irruentis impressionem moderetur, quemadmodum hic vicissim influens ac vasa distendens illius motum ac intensionem nervornm temperat & coercet. Mutuo hoc utriusque liquidi influxu ac moderata nerveorum filamentorum constrictione, vasorumque expansione partibus sua constat tensio tonus atque vigor; illaque ipsa tensio & constrictio est, quam veteres facultatis retentricis & expultricis nomine innuere volebant.

Quemadmodum ergo exinde clarissimum est, influxum liquidi nervorum in partes & musculos a pulsu & leni compressione arteriarum cerebri dependere: ita, cum ex musculis, omnis motus in corpore organis & instrumentis, alii antagonistis gaudeant, alii iisdem sint destituti; facile quoque patet ratio, cur hi, quorum e numero quoque cor est, motibus automaticis serviant atque vel nesciente, vel invita aut reluctante etiam anima, actiones suas perficiant: ex illis vero plerique mentis imperio subiecti, pro arbitrio moveantur. Posteriores enim non possunt non moveri, constrictis ab influente, mechanica necessitate, nervorum succo, & brevioribus redditis fibris: dum priores, influxu dicti liquidi utrinque æquabili, cum antagonistis in æquilibrio constituuntur, ubi minima vi & motu super-

Ratio motuum vitalium necessariorum nullo præeunte voluntatis imperio procedentium.

Voluntariorum.

ſuperaddito opus eſt, quo aucta unius contractione & elatere æquilibrium ſuperetur. Hoc vero motus augmentum ſuperaddit, vel cauſa quædam externa, ut in Reſpirationis negotio aër elaſticus, calore corporis expanſus, vid. antea laudatus doctiſſimus *Stræm*, *l. a. Prop. VII. p. 67.* vel anima, ea lege corpori conſociata, ut motus nervorum fluidi, pulſu & preſſione texti arterioſi in cerebro ad corporis partes iam derivati, nutu ſuo & imperio, pro arbitrio dirigat, augeat, aut funiculos nerveos hoc ipſo fluido rite intenſos ſtringat, magisque intendat, variorumque motuum voluntariorum cauſa exiſtat: & ab illius fluidi, nervos, in organis ſenſuum, replentis & intendentis, aut etiam ipſorum nervorum contremiſcentium variis agitationibus, ſive ab extra, ſive ab intra originem duxerint, viciſſim varia ratione afficiatur; id quod tum ipſæ operationes edocent, tum ex eo quoque evidentiſſimum eſt, quod nihil anima in corpore movere nullaque operatione ſine mobiliſſimi ſucci illius nervorumque tenſorum adminiculo perfungi poteſt.

Omnes motus automatici alterna deſtructione & reſtitutione æquilibrii abſolvuntur.

In propinquo hinc eſt petſpicere, ſolum ſanguinis & ſucci nervorum reciprocum motum, in prima conceptione inchoatum & dicta ratione continuatum ad motus automaticos & neceſſarios ſufficere, omnesque inde pendentes actiones nihil eſſe aliud, quam alternam partium ſibi obnitentium æquilibrii deſtructionem & reſtitutionem, dum ſyſtema arterioſum cum nervoſo continua potentiæ moventis poſitione & privatione libratur, nullumque datur momentum, quo perennante vita motus in corpore alternis momentis non pereat & de novo exoriatur, & ex

Sunt mere mechanica.

conſequenti eſſe illas mere mechanicas, in quas animæ per ſe nullum eſt imperium; cum, ceteris paribus, nulla cogitandi ratione vel accelerari, adiuvari vel coërceri cohiberive

berive poſſint. Reliquas vero animales actiones, quas mixtas vocamus, non minus mechanica neceſſitate organiſationis & habitudine inſtrumentorum corporeorum, anima tantum præſidente & dirigente produci: cum recte notante Inclyto *Bergero*, *Phyſiolog. Med. L. I.c.1.p.4.* eius iniuſſu vel etiam ingratiis interdum fiant.

Actiones mixtæ.

His ita conſtitutis, haud arduum erit perſpicere, quousque animæ ſuper corpus imperium ſe extendat & quomodo quibusque mediis anima corporis actiones moderetur, ab iisdemque viciſſim, vel occaſione earundem, varias quaſi impreſſiones, vel ideas, recipiat, vel repræſentationes ipſa ſibi ſiſtat, incidatque in varias cogitationes. Scilicet ſyſtemati nervoſo, lege a ſapientiſſimo Creatore ſancita, ita præeſt, ut fluidi in illo contenti motum non tam producat aut huius cauſa exiſtat; quam potius, ut eundem ab aliis cauſis iam procedentem, regat nutuque ſuo ad hanc vel illam partem magis quam ad aliam dirigat, aut, ut filamenta nervorum elatere ſuo naturali iam connitentia magis in hac quam alia parte intentione ſua intendat, & ita æquilibrium inter partes æque tenſas tollendo varios motus inſtituat. Itemque ut, motu huic liquido, vel nervis ab eo tenſis, a cauſis vel internis vel externis impreſſo, occaſione commotarum hac ratione fibrillarum medullarium cerebri, alio atque alio modo, prout influxus iſtius liquidi vel incitatior eſt, vel, a ſanguinis in partes impetu, retardatur aut reprimitur, intenſarum, varias ſibi proponat repræſentationes ſive ideas, quibus excitata, exagitata, diverſos affectus induit. Id quod breviſſimis huc recidit:

Anima æquilibrium tollendo motuum voluntariorum cauſa eſt, & occaſione motus fibrillis cerebri impreſſi, varias paſſiones ſuſtinet.

(α) Fibræ partium nervoſæ a liquido nerveo, & vaſcula arterioſa hisce fibris interiecta a ſanguine, alternis vicibus tenſa continuo ſibi obluctantur.

Adeoque

(β) Influxus nervorum ſucci temperat & moderatur ſanguinis in partes irruptionem, &

(γ) hæc viciſſim coërcet motum fluidi nervei, moderaturque nervorum intenſionem. Quemadmodum igitur

(δ) anima undas nervorum ad partes dirigendo, nervosque intendendo, actiones corporis excitare, modificare aut turbare poteſt, ita

(ε) ſanguis motu ſolito vehementiori concitatus aut ultra modum expanſus vaſcula diſtendendo, fibras nervoſas premendo & continuis pulſationibus cerebrum eiusque fibrillas ſuccutiendo, tonum, tenſionem harmonicumque fidium harum concentum mutare aut turbare etiam valet.

Quo ipſo non poſſunt non in ipſa anima, pro ratione intenſionis fibroſæ compagis cerebri, quæ inſtrumentum muſicum æmulatur, a variis cauſis impulſæ ac incitatæ, diverſæ exoriri repræſentationes, cogitationes, inclinationes, affectus. Itaque nervorum ſuccus eſt, per nervorum funiculos diſtributus & protenſus, utrisque, & animi & corporis promiſcue motibus ſerviens, quo commercium illud continetur, quique bona invicem & mala transfert: quando admirabili artificio formatus contextus ille & continuatio cerebri & nervorum iſto fluido quaſi animatur, atque horum ac illius fibræ ſucco meliori confirmatæ, undique vividioribus perfuſæ, eo modo intenduntur, quo promtiſſime ac facillime motus, tum a cerebro ad organa ſenſuum & motionum, tum ex his ad illud deferri recte ac propagari queant. Scilicet illud ſatis, ex ſupra dictis, atque infra dicendis, iam expeditum eſt, tantam eſſe conſpirationem inter animam & corpus, ut pro varia conſtitutione,

Succus nervorum bona & mala invicem transfert.

Anima

tutione, dispositione, intensione nervorum atque cerebri, nec non temperie succorum influentium, a diversis objectis, organa diversis modis afficientibus & exagitantibus, variæ repræsentationes & cogitationes fiant & exoriantur in anima. Itemque animam, in illa conspiratione actionum, corporis organa ita habere in obsequio, ut nutus & imperium ipsius motus membrorum corporis promtissime consequantur: quin & cum variis ipsius exagitationibus, in affectuum concitatorum impetu, motus certi in corpore, affectuum vehementiæ accommodati & convenientes, cum in toto, tum in certis partibus, ad quas intentio animæ præcipue directa, aut de quibus anima speciatim solicita est, quibusque cumprimis metuit, proveniant. Neque hæc, post ea quæ modo, de halitu, roreque leni aut succo blando, tenuique, cerebri universumque nervorum contextum eorumque fibras undique protensas, continuatas ac conspirantes rigante & intendente, commemoravi, adeo obscura esse queunt.

& corpus actionibus suis maxime conspirant.

Enimvero, ut sensationis negotium paulo accuratius pervestigemus, ex omnibus, quæ circumstant, conditionibus manifestissimum est: (1) Sensus tam internos, quam externos, fieri per certa organa, quibus recte constitutis viget ac rite peragitur, læsis vero, perversis aut destructis, imminuitur, debilitatur, pervertitur, aut perit sensus. (2) Organa illa sensoria, ipsius cerebri medullari substantia, nerveorumque filamentorum, ex illa substantia propagatorum, atque plurimos in ramulos diductorum, singulari contextu absolvi: cum nervorum propagines per omnia illa organa distribuantur, & pro diversa in diversis organis contextione, conformatione, dispositione, diversus sensus sit, nervisque ad organa procurrentibus læsis, præcisis, compressis, induratis, sentiendi facultas lædatur

In sensationis negotio quid exploratum habeamus?

ac pereat. (3) Subſtantiam cerebri medullarem, e fibris tenuibus compactis conſtantem, nervorumque illos, qui organa componunt, funiculos a ſucco leni, antea memorato, ita intendi, ut motum, a diverſis obiectis, partibus & organis impreſſum recipere & ad originem ſuam in baſi cerebri propagare; aut motum determinatum, in cerebro inchoatum, ad certas partes & organa deferre facile queant. Quin & fluidum ſubtile, quod nervos replet atque tendit, partibusque contiguis totidem quaſi ſolidos gracilesque cylindros refert, obiectorum impulſu incitatum atque vibratum motum & vibrationes e veſtigio ad locum communis ſenſorii in cerebro, aut motum in cerebro receptum ad partes facillime deferre poſſe. (4) Fibrillas tenues communis ſenſorii ſive medullæ cerebri, ubi nervi egrediuntur, certo modo intenſas, a vibrationibus, vel filamentorum nerveorum, vel radiorum fluidi per hos protenſi, eo propagatis, pro diverſitate agentium obiectorum externorum, vel cauſarum internarum, harumque diverſa impreſſione, diverſo modo incitari, vibrari, ac contremiſcere. (5) Poſito hoc fibrillarum cerebri contremiſcentium determinato motu ac concentu, in anima certas ac determinatas repræſentationes, perceptiones, cogitationes oriri, idque ex lege conſociationis & conſpirationis, quam præpotens rerum Conditor inter animam & corpus intercedere voluit. (6) Prout organa ſenſoria nervorumque fibræ certo ac peculiari modo, in diverſis ſubiectis, ſunt diſpoſitæ, conformatæ ac intenſæ, atque proin incitatæ diverſa ratione conſonant, peculiares etiam fieri repræſentationes atque ideas in mente.

Nervi tenſi, vel ſuccus in iis protenſus, motum ab organis ad cerebrum & inde etiam ad organa deferre poſſunt.

Ex quibus ſine ulla difficultate intelligitur, quod, prout, ſecundum *Verulamium, de Augm. ſcient. L. II. C. II. varia & ſubtilis corporis humani compoſitio & fabrica effecit, ut*

Senſatio

ut sit instar organi musici operosi & exquisiti, ita totum sensationis negotium, in quantum illud corporeis organis perficitur, harmonico fidium nervearum contremiscentium motu & vibratione absolvatur. Etenim, cerebrum, quod, quoad partem, cumprimis medullarem, ex innumeris tenuissimis fibrillis, totidem quasi fides referentibus, compactam, tensione sua naturali, æquabili, harmonica, gaudet, musicum quoddam opificium exhibet. Nervi inde propagati & succo inde derivato intensi, ad omnes corporis partes dispertiti, certis in locis, singulari artificio & providentia distributi, super membranas expansi, contexti, ac peculiari conformatione & habitudine, in relatione ad certa obiecta, donati, singularia constituunt organa musica, cum cerebro connexa & harmonice conspirantia. Proinde, quando hæc, naturali ordine & modo constituta, motus a convenientibus obiectis impressos, atque pro determinata sua constitutione & habitudine configuratos, ex sententia laudati illustr. *Verulamii*, aut specificatos ad cerebrum celerrime propagant, atque intensis huius fibrillis determinatum quendam motum ac fidium harmonice contremiscentium concinentiam excitant; secundum huius tenorem certæ ac determinatæ fiunt in anima repræsentationes, subeuntque eandem cogitationes: ita quidem, ut prout fides illæ nerveæ certo tenori sunt accommodatæ, & quo magis sunt intensæ, adstrictæ, aut quo sunt remissiores, laxiores, & quo proinde vibrationes earundem sunt magis vel minus concitatæ, aut fluidum in illis magis vel minus citatis undis contremiscit, & ex consequenti concentus in cerebro quasi personans acutus magis, aut gravis, aut suo modo configuratus est, diversæ quoque in anima gignantur & proveniant repræsentationes, perceptiones, cogitationes, inclinationes.

absolvitur motu harmonico.

Cerebrum & organa sensoria referunt organa musica.

Neque

Sensus internus. Neque difficile fuerit hinc perſpicere, qua ratione ſenſus interni in homine procedant. *Senſum* enim *communem*, qui nihil aliud eſt quam ſingulorum ex quinque externis ſenſibus complementum, concentu illo quaſi muſico fidium vibratarum cerebri, cuius occaſione in anima enaſcuntur perceptiones & ideæ, abſolvi, nullum iam dubium eſſe poteſt. *Imaginationem* & *Memoriam*, quarum illa eſt continuata, hæc iterata ac repetita rei a ſenſibus externis oblatæ repræſentatio, a continuata vel iterata fibrillarum cerebri harmonica commotione ac concentu, & quidem tali, qualis vel recens, vel olim, impulſu & actione obiectorum in organa, excitatus fuit, proficiſci nullo negotio intelligitur. Cum enim pro diverſa cerebri conſtitutione & temperie, atque pro fibrillarum eiusdem in diverſis ſubiectis ac temperamentis intenſione, adſtrictione, duritie, laxiori, molliori diſpoſitione & inde pendente ad vibrationes ſuſcipiendas continuandasque ac iterandas habilitate diverſa, illæ animi vires diverſæ ſint, vigente cerebro, vividisque undis incitato, ut in iuvenili ætate, vigeant, læſo eodem, languente, marceſcente, ut in ſenio, turbatoque æquabili fibrarum concordique tenore ac harmonia, inſigniter imminuantur, debilitentur, pervertantur aut pereant; facile apparet, ſine organi corporei motu & concentu has animæ facultates, in hoc conſociationis ſtatu, in actum deduci non poſſe, quin conſpirare ubique actionem animæ & motum organi, ita quidem, ut ſicut organo agitato repræſentatio oritur in mente, obortisque, a quacunque demum cauſa, ſimilibus fibrarum contremiſcentium motibus ac harmonia, eædem repræſentationes menti ſiſtuntur, ita mentis in memoriam redeuntis intentione ſimilis motus & concentus oriatur in organo ſive communi ſenſorio. Vt hoc modo in facili promtaque

Sine organi corporei motu ſenſus internus fieri nequit.

ratione continuandi ac aliquamdiu conſervandi easdem vibrationes eundemque concentum harmonicum, *Imaginationis*, ſimiles vero motiones ſimilemque harmoniam repetendi ac iterandi *Memoriæ* omnis vis & facultas poſita videatur. Vnde illud apertum eſt, ſicuti repræſentatio a *Senſucommuni*, continuatio repræſentationis ab *Imaginatione* ſive *phantaſia*, atque repetita repræſentatio per *Memoriam*, eadem aut ſimili fibrillarum cerebri concinentia, atque cum hac conſpirante actu repræſentationis in mente abſolvitur, ita tres ſenſus internos unico imaginationis, inchoatæ, continuatæ & repetitæ, actu contineri, atque hac ratione unum ſaltem dari ſenſum internum, quem *Imaginationem* ſive *Phantaſiam* dicimus. Exinde quoque patet ratio, cur, quod paulo ante vidimus, in diverſis ſubiectis, pro ratione ætatis, pro diverſo corporis ſtatu, habitu, ac temperamento, inprimis cerebri temperie, nervorumque diſpoſitione & intenſione, vis imaginationis ac memoriæ diverſa ſit. Prout enim cerebri fibrillæ ad concipiendas, conſervandas atque iterandas vibrationes determinatas, harmonicas, magis vel minus aptæ ſunt & habiles, eo promtius vel ſegnius incitantur, eoque facilius vel difficilius excitantur, revocantur, ac diutius conſervantur, continuanturve cogitationes iisdem reſpondentes. Item cur Memoria excolendo augeatur, nihilque, verbis *Ciceronis*, æque augeatur cura, vel negligentia intercidat? quum enim ob frequentes actus fibrillæ cerebri habilitatem quandam & habitum acquirant, atque mobiliores, proniores & promtiores reddantur ad motus determinatos ſuſcipiendos, in quo conſiſtit vis & potentia conſuetudinis, nullo negotio perſpicitur, in illa conſpiratione motuum organi & mentis, huius quoque repræſentationes ac cogitationes promtius redire. Nec minus exinde fluit ratio, cur, ubi ſenſus interni

Vnus tantum datur ſenſus internus.

Memoriæ cur excolendo augeatur?

valide & diu exercentur, haud parva debilitas tum mentis, tum corporis, oriatur? cum cerebri fibræ, exercitio vehementi ac diuturno defatigatæ, consumto ex parte nervorum fluido ad suscipiendos vividos, ad celeres & evidentes cogitationes necessarios, motus, segniores & vix idoneæ sint, donec novo succo intensæ, pristino vigori restituantur: cumque simul nervosum genus inde propagatum, deficiente quodammodo fluido, ad tensionem & vigorem suum tuendum necessario, non possit non in consensum trahi, non mirum, si & corpus a vivacitate remittat & langueat. Cur ab intentiori imaginatione ἀναισθησία? Cur cœci sint oculi, cum animus alias res agit? Cur nihil sentiat crus in terris, quando animus est in cælo? secundum *Senecam:* Cur animo intentus, reminiscens, imaginatione abreptus, sensus externos quodam modo sopiat, atque motus corporis cohibeat? vividior enim fibrarum cerebri contremiscentium motus & concentus alterum superat & retundit, neque mens cum una harmonia intente conspirans, & occupata cum altera claras, exactas, extantiores, ordinatasque ideas tam facile coniungere valet, neque in illa occupatione vividæ undæ ad motuum organa dirigi ac derivari possunt? Inprimis vero promte inde ratio derivatur, qua anima forti imaginatione ad organum quoddam sensorium, vel certas corporis partes directa, eodem, quo obiecta, vel causæ violentæ solent, motu easdem exagitare, incitare, constringere, texturam, structuram diruere, dissolvere, atque notabiles ac admirandos sæpe effectus in iis producere possit? Quemadmodum enim a nervorum in organis externis certo ac determinato impulsu, facta ab obiectis impressione, in communi sensorio producitur fibrillarum certa ac determinata vibratio ac harmonia, certam repræsentationem in anima conspirantem excitans, ita ex animæ certa idea ac repræsen-

Cur exercitium sensus interni diuturnum corpus debilitet?

Cur sensus externus quodam modo sopiat?

Quomodo imaginatio effectus violentos in corpore possit producere.

ſentatione, actu imaginationis excitata, obortus certus ac determinatus motus contremiſcens in fibrillis cerebri, cum partibus & nervis, a quibus alias, occaſione obiectorum externorum, ſimilis motus in cerebro proficiſci ſolet, connexis & harmonice conſpirantibus, talem in illis partibus agitationem, vellicationem, talesque effectus excitare poteſt, quales ab obiectis externis valide agentibus in illis produci ſolent.

Scilicet in negotio ſenſationis, ex lege conſociationis & conſpirationis corporis & animæ, hæc tria actutum ſe excipiunt, & ſunt quaſi ſimul: & quidem, ſi a ſenſu externo fiat initium, (1) organi motus ab obiecto vel cauſa externa excitatus, (2) fibrarum motus atque concentus in cerebro, & (3) repræſentatio in mente. Si ſenſus internus incipiat (1) repræſentatio in mente, per imaginationem intenſiorem & fixiorem excitata, (2) concentus fibrillarum cerebri & (3) motus conſpirans, per connexionem, in organo. Si muſicum cerebri opificium a cauſa interna corporea, impulſu, v. gr. humorum æſtuantium, arteriolas ultra modum diſtendentium, incitetur, & ita concentus fibrarum cum certis partibus & organis connexarum & conſpirantium provocetur, (1) concentus fibrarum contremiſcentium cerebri (2) idea reſpondens in mente, (3) agitatio partis per nervos connexæ. Vnde, ut data actione obiecti, vel etiam cauſæ cuiusdam externæ violentæ, cum vellicatione, diſtractione & læſione partium, datur determinatus fibrarum motus in cerebro, per nervorum continuationem, & cum illo conſpirans in mente repræſentatio, aut, in caſu poſteriore, triſtis ſenſatio & dolor, ita, verſa vice, exorta ſimili, per imaginationem, idea & repræſentatione in mente, oritur ſimul motus conveniens determinatus in communi ſenſorio, & inde propagato per nervos motu,

Organi motus, concentus in cerebro & repræſentatio mentis ſemper ſunt ſimul.

talis fere affectio, exagitatio, vellicatio, constrictio, distractio in partibus, ad quas directa est cogitatio, qualis ab actione causæ externæ, partes afficiente, vellicante, distrahente & eiusmodi tristem sensationem inferente, provenire potuisset; atque illa quidem eo validior, quo extantior est illa in mente repræsentatio, & quo intensior affectus inde prognatus, quoque fibrillæ sive fides cerebri & genus nervosum ad motus validiores recipiendos, propagandos & aliquamdiu conservandos habiliora sunt.

Quod exemplis confirmatur.

Hæc omnia experientia confirmantur, nec difficulter perspiciuntur, si modo attendamus & accuratius expendamus, quæ in hoc negotio sensationis sæpissime obveniunt. Ventriculo a causa quadam molesta, vel intus præter naturam genita, vel ab extra illata, irritato, exagitato & ad vomitum incitato oritur nausea & adversus sensus sive repræsentatio, idea adversa in mente. Eadem repræsentatione, sive idea nauseosa, menti oblata, occasione visæ vel auditæ, vel memoria repetitæ, rei nauseosæ, oritur similis agitatio & subversio ventriculi. Cerebro quoque affecto & præter naturæ modum exagitato, vel a causis internis vel externis, ita ut in fibris medullaribus, certa ratione agitatis, præternaturalis eiusmodi concentus provocetur, similis idea nauseosa in mente, similisque constrictio & subversio ventriculi, sive vomitus producitur. Simili modo, prurientibus genitalibus oriuntur cogitationes venereæ, & versa vice obortis cogitationibus venereis, vel occasione rei visæ, vel auditæ, vel in memoriam revocatæ, pruriunt genitalia, in personis, qui eiusmodi ideis delectantur, atque imaginatione fixiore altius easdem mente reponunt, ita quidem, ut si certæ corporis conditiones simul concurrant, ista ita tendantur & afficiantur, ut pollutiones & nocturnæ & diurnæ, quæ sine præviis imaginatione illa & cogitationibus non secu-

ſecutæ fuiſſent, inde oriantur. confer. Illuſtr. *Wedelii Diſſ. de Pollut. nocturn. C. VII.* Ita & affectus cerebri ſpaſmodicos & cogitationes venereæ, & priapiſmus ac pollutiones ſæpe comitantur: quoniam data certa agitatione fibrillarum cerebri ſemper convenientes cogitationes in mente reſpondent, atque organa certa corporis, a quibus certo modo affectis alias ſimilis agitatio provenire ſolet, in conſenſum trahuntur.

Ex his probe perſpectis haud difficulter rationem derivare licebit tot admirandorum effectuum in corpore humano, qui ab imaginatione proficiſcuntur, quando per illam aut occaſione illius vel totum corpus, vel partes quædam exagitantur, convelluntur, conſtringuntur, atque ſolidorum ac fluidorum motus incitantur, intenduntur, cohibentur, aut præter naturæ modum immutantur, unde ſæpe ſalubres, ſæpe etiam morboſi aut lethales effectus proveniunt: quando item imaginatio hominibus, vel vigilantibus, vel ſomniantibus, inprimis φαντασιαστικοῖς, melancholicis & ſimilibus illudit, ut ſentire ſe, videre, contingere extra ſe aliquid opinentur, ut umbram captent, & larvam, quæ nullibi niſi in phantaſia eſt, timeant, prout exempla infra adducenda hoc ipſum uberius declarabunt. Nempe imaginatio non eſt ſine motu determinato & conveniente fibrillarum medullarium cerebri. Hic motus ad partes & organa per nervos connexa & conſpirantia propagatur, ſimilemque in illis agitationem producit, qualis ab obiectis ab extra agentibus in illis produci ſolet. Vnde, excitato ſimul ſenſu externo, plane & ex omni fere parte ſimilis etiam mentis repræſentatio & perceptio oritur, qualis ab obiectis externis per organa oriri ſolet. Quodſi imaginatio fuerit fortior, vehemens, cum affectu vehementiore coniuncta, motus ille fibrarum cerebri, eidem reſpondens, eſt vehementior convulſivus, & corpori ac vitæ ſæpe nocivus. Eccui enim, qui hæc ex-

Ratio effectuum imaginationis.

penderit, mirum videbitur, si vehementius agitatis, constrictis, distractis, delicatis cerebri fibrillis, commotoque ac turbato principio nervorum, atque impedito libero commercio motuum inter cerebrum & cor, quin & totum corpus, homo actutum vita privetur: si, cum accensa & flagrante imaginatione, oborta vehementi principii nervorum constrictione, spasmo, convulsione, catalepsi quis corripiatur, aut ecstasi abreptus extra terminum mentis suæ ponatur, atque aberrantes, in illa tremula, sed constanti principii nervorum contractione, ideas servet, atque ita teneat, ut nullo modo has phantasiæ operationes esse sibi persuaderi patiatur, sed pro veris visionibus sibi reali modo repræsentatis constantissime venditet: si turbata item vehementi agitatione & distractione fibrarum, medullari illa cerebri machina, hæc ipsa harmonia sua excidat, atque, in illa conspiratione mutua, mentis quoque perceptiones & actiones perturbentur, ac homo, per affectum vehementiorem, de statu mentis deiiciatur, stupidus, insipiens, demens, amens, aut insanus sæpe reddatur, atque mentes, recte quæ stare solebant antehac, ingenti se flectant ruina. Exemplo eorum, qui per ambitionem, avaritiam, amorem, desperationem, curas pervigiles, acriores, spinosas, angores, sollicitudines, imaginationem fixiorem, contemplationes sublimiores, studia incitata, inflammata, assiduas & vehementes, ad res reconditiores applicatas mentis occupationes, usum sanæ rationis amiserunt. Si homo affectu quodam abreptus & agitatus, turbato sic concentu cerebri, atque simul conspirante harmonia animæ, suæ mentis compos non sit, a se & usu sanæ mentis discedat, atque pœnitere sæpe valde care emat. Si affectus, sensorium commune exagitando, atque alio extraordinario modo intendendo, aliam etiam mentem inducant, atque idiosyncrasias morales producant? quan-

Ratio turbatæ phantasiæ in ecstasi.

Affectus vehementes & contemplationes sublimiores usum sanæ rationis intercipiunt.

quando, ubi amor ardens occupavit animum, atque machinam communis sensorii de intensione sua ordinaria deturbavit, sua cuique placet, non amabilis sæpe, Lesbia: quando animo præceptarum aut præsumtarum opinionum amore & sapore occupato, suavissimus veritatis cibus videtur insipidus, amarus, adversus: ut amare & sapere vix excellentissimis ingeniis sit concessum; nec inepte *Ovidius* cecinerit:

Idiosyncrasiæ morales.

Scilicet insano nemo in amore sapit.

quando animum, felle invidiæ perfusum & disturbatum, licet etiam optima & suavissima offerantur, torquet amaror. Nempe per affectum harmonia organi mutatur, mutata organi harmonia aliæ perceptiones, cogitationes, inclinationes in anima oriuntur.

Quibus iam apertius declaratis, non adeo arduum fuerit intelligere, cur & qua ratione habitus corporis, constitutio, atque temperies ad actiones morales, proclivitatem inducat? cur homines pro ratione ætatis, sexus, vitæ, generis, diætæ, climatis, regionis ac loci, habitationis diversum animum induant, atque a temperamentorum diversitate diversæ hominum inclinationes proveniant? cur temperatus corporis habitus, vitaque sobria, cum ad mentis & ingenii vim exacuendam, tum ad mores exornandos tantum contribuat, ut hæc medicina morum vocari merito possit, &, ex *Cartesii* sententia, ratio, quæ homines sapientiores & ingeniosiores reddat, in medicina quæri debeat.

Quomodo habitus corporis & temperamenta ad actiones morales proclivitatem inducant.

Scilicet illud satis perspicimus, conspirare motus organi corporei & actiones animæ, ita quidem, ut prout concentus fibrillarum vibratarum ac contremiscentium in cerebri musico opificio diversus est, diversæ quoque ac determinatæ oriantur in mente perceptiones, repræsentationes, propensiones, inclinationes, affectus. Diversa hæc concinentia ori-

oritur; quando fibrillæ medullares cerebri atque ſenſoriorum alio atque alio modo ſunt, diſpoſitæ, conformatæ, intenſæ, duriores, compactiores, firmiores, molliores, teneriores, mobiliores, ſtrictiores, laxiores, ad certos motus magis vel minus habiles. Cum igitur in diverſis ætatibus, in ſexu diverſo, pro vitæ genere diverſo, pro diætæ, climatis, regionis, & temperamentorum ratione diverſa, alio atque alio habitu, firmiore, teneriore, duriore, molliore, ſtrictiore, laxiore, corpora ſint prædita, alia humorum influentium, ac partes ſolidas intendentium, impellentium, exſtimulantium, mixtio, alia conſiſtentia, fluidior, ſpiſſior, blandior, aſperior, in illis reperiatur, non poteſt non fieri, quin fibræ ſenſiles diverſo modo intendantur, ut in ſenſationis negotio incitatæ, vibratæ, diverſa ratione contremiſcant, & quaſi concinant, atque ſimul, cum hoc concentu, convenientes in mente repræſentationes ac cogitationes, ex lege conſociationis conſpirent. Et cum in recta & integra ac conveniente corporis conſtitutione, bonaque humorum temperie, ubi æquabili per omnia membra humorum derivatione ac circulo ſecretiones ſuccorum, quibusque convenientes, rite peraguntur, ſenſuum organa pura & integra vigeant, atque fibræ cerebri omnes ad extremas usque nervorum propagines immiſſo pulſu cordis, ex minutis cerebri arteriis roſcido lymphæ ſucco ita intendantur, ut exceptas ab obiectis impreſſiones promte & incitato motu ad cerebri medullam deferant, eoque ipſo in hac ordinata ac vivida fidium intenſione ordinatus ac vividus concentus producatur; conveniens quoque ordinata ac vivida repræſentatio in mente exoriatur, neceſſe eſt.

Vigente corpore, ceteris paribus, mens quoque vigeat, neceſſe eſt.

Atque adeo, quum pervadentis ope ſubtilis fluidi rite intenſæ cerebri nervorumque fides, aut ſimul derivati per illas & protenſi, ad modum totidem cylindrorum, roris illius ſubtiliſſimi puriores

res undæ ad tremores concipiendos ac propagandos ſint aptiſſimæ, ut tum obiectorum impreſſione & impulſu, tum, ex lege conſpirationis, ipſius quoque mentis intentione & nutu, promte ac vivide incitari, atque ita obiectorum repræſentationes, in illo utriusque ſubſtantiæ commercio, menti ſiſti, continuari, atque iterari etiam facillime queant; in proclivi eſt perſpicere, in bono & temperato corporis ſtatu atque organorum promta habilitate, mentem non tantum res præſentes facile percipere & cognoſcere, ſed & abſentes & præteritas ſibi denuo ſiſtere atque retrahere, quin & de futuris cogitare, easdemque tanquam præſentes ſibi repræſentare, atque ita memoriam cum ingenii vi valere: ut apertiſſimum hinc ſit, vim illam mentis, qua res clare & diſtincte percipere, perceptas perſpicue ſibi ſiſtere, memoria tenere, fideliter reddere, aliasque ex aliis, imaginatione invenire & effingere nobis integrum eſt, ab habilitate illarum fibrarum & fidium recte intenſarum plurimum pendere; ut non longe petenda ratio ſit, cur cultura atque exercitatione ingenia acui, induſtria ali, incultu & ſocordia torpeſcere ſoleant? quum, per frequentiores actus crebrumque exercitium, fibras illas atque inſtrumenta organica accommodari, expeditiora, mobiliora ac promtiora reddi, per otium vero obrigeſcere quaſi & inepta fieri: haud aliter atque externa corporis membra, motusque organa, exercitatione, conſuetudine, docilique ſolertia, pronam expeditiſſimamque habilitatem acquirere, otio vero rigeſcere atque torpere obſervamus; quilibet facile intelligat. Quo clarior vero & magis perſpicua eſt rei perceptio, quo extantiores & expreſſiores ſunt ideæ ipſa perceptione, ſenſu & imaginatione enatæ, eo dilucidiores notiones ſibi format anima, eoque verius & rectius, dum recte percepta & perſpecta recte æſtimat atque diſcernit, de iis iudicium fert,

Memoria & Ingenii vis a fibrillarum cerebri habilitate plurimum pendet.

Clariores ideas rectius æſtimat anima & diſcernit.

atque, easdem promte & expedite conferendo ac comparando, rationem alacriter exercet: dumque eo ipso imaginationis & memoriæ, omnia ſcite, commode, agiliter ſubminiſtrantis, ſubſidio utitur, ad rerum divinarum humanarumque, nec non cauſarum, quibus hæ res continentur cognitionem, itemque ad prudentiam, quæ in collatione præteritorum cum præſentibus & futuris, antecedentium cum conſequentibus conſiſtit, quin & ad veram ſapientiam, ad finem, ad quem nati ſumus, notitiam cultumque divinum facile aſcendit & erigitur.

Rationis exercitium.

Mens humana corporis robore & auxilio indiget. Eius tamen contagione contaminatur.

Atque exinde iam perſpicuum ſatis eſt, quomodo mens humana, corpori organico conſociata, terrenoque clauſa carcere, huius robore & auxilio, per legem conſpirationis, ad munia ſua rite obeunda indigeat? quomodo huius ergaſtuli inſalubritate & contagione quaſi contaminetur, impediatur, perturbetur, invalida reddatur? quomodo cum corpore torpeat animus, torpeant ſenſus, torpeat omnis vitæ ratio? quomodo ſanguis, ſecundum *Hippocratem*, ad prudentiam conferat, atque eum huius temperatis aut intemperatis mixtione & motibus conſiſtat aut concidat ſimul prudentia? & quomodo hinc vita ſobria ſit animi morumque medicina: quomodo artium nobiliſſima, Medicina, corporis ſalubritatem, robur, æquabilemque motuum vitalium ac animalium tenorem tuendo ac reſtituendo efficere poſſit, ut in corpore ſano ſit mens quoque ſana, huiusque vires, ingenium, ſapientia, prudentia, arte medendi exſuſcitentur, atque vitæ hinc & morum ornatus exſurgat?

Sic quoque qui antea dicta accurate penſitaverit, atque harmoniam iſtam expenderit, qua fibrarum cerebri medullarium motibus harmonicis e veſtigio reſpondent repræſentationes animæ, & perceptiones convenientes, atque inde natæ cupiditates, inclinationes, affectus, ita ut, ſicut

mu-

musicum cerebri opificium, pro diverso elatere, habilitate, diversa sanguinis & succorum, illud rigantium, tendentium & impellentium, temperie, certo modo determinata, receptis impressionibus, promtius, segnius, vehementius languidius, efficacibus, durabilibus, expeditis, incitatis magis vel minus vibrationibus contremiscit & concinit, ita quoque diversæ animæ repræsentationes, iudicia, agitationes, cupiditates, concitationes, diversique affectus & propensiones morales exoriantur? facile inde intelliget,

Cur in molli infantis habitu, in humida flaccidaque cerebri constitutione, sanguine & succis gelatinosis, fluxilibus tamen, pulsu moderato, æquali, languido, perfusa & quasi oppressa, somnolentia obtineat, & sopitæ ac sepultæ fere sint intellectus & vires animæ? *In infantili cerebro sopita & sepulta fere animæ vires.*

Cur in primo ætatis vere, pueritia, omnes, tum corporis, tum animi, vires & operationes progerminare soleant? fibris maiorem iam soliditatem, intensionem, elaterem acquirentibus; sanguine nec crasso nimis, nec nimis fluxili, sed maxime temperato, per habitum mollem, tenerum, vasculis minoribus, sed plurimis repletum, succulentum, pulsu placido translato. *Conditio animi in pueritia, & eius ratio.*

Cur in hac fibrillarum tenellarum proniore mobilitate, qua animæ intentioni promtissime obsequuntur, memoria valeat, intellectus tamen adhuc immaturus sit? ob leviores, volubiles, agilius transeuntes, in organo, ad vibrationes exstantiores & constantiores nondum satis habili, impressiones & motus, quibus convenientes, h. e. volubiles, velociter transeuntes animæ repræsentationes respondent: & cur proin pueri alacres, hilares, vegeti, de nihilo soliciti, faciles, tractabiles, sed creduli nimis, simplices, incauti sint?

Cur in adolescentia, ubi, habitu magis adolescente, fibrisque strictioribus atque magis elasticis redditis, sanguis *In adolescentia.*

per arctiores & ſtrictiores canales, pulſu magno & vehementi, transpreſſus ſubtiliſatur, atque, ablata ſuperflua humiditate, evolutis atque explicitis magis partibus ſalino-ſulphureis, motus inteſtinus & calor intenditur ac invaleſcit, atque diſpoſitio ſanguineo-cholerica inducitur, phantaſia excellat, memoria vigeat, & dum res ſenſibus perceptas promtiſſime ſibi ſiſtit anima, atque conſtante ac durante aliquantisper impreſſione altius recondit, iudicium & intellectus maius augmentum capiant, & proinde adoleſcentes, cum illa fibrarum ſolidiorum, fluidis vegetioribus, convenientibus, temperatis, intenſarum & impulſarum, agilitate hilares, agiles, promti, a curis alieni, otii amantes, voluptuoſi, fixiores tamen & attenti magis in propoſito, & ad ſcientias demonſtrativas apti ſint?

In ætate vigente. Cur in ætate vigente, fibrarum ſoliditate ac elatere increſcente, ſanguine per vaſa ſtrictiora ac magis reſiſtentia, pulſu conveniente, h. e. vehemente & expedito, transpreſſo ac magis attenuato, inductaque diſpoſitione cholerica aut cholerico-ſanguinea, atque habilitate fibrillarum, inprimis cerebri, ad recipiendas promte, & expedite continuandas impreſſiones, agitationes, validiores ac vehementiores, alacres quidem ſint, veloces, expediti, ſed ſimul vehementes, moræ impatientes, vigili tamen induſtria intenti, obſtinati in propoſito, in agendo præcipitantes, ſui fiducia freti, ambitioſi, minus prudentes, turbulenti?

virili. Cur in ætate virili, perfecta, quam vocant, ubi fibræ ad ſoliditatem perfectiorem & ſufficiens robur promotæ ad vibrationes expeditas, validas, durabiles, aptæ & accommodatæ ſunt, ſanguine, ob æſtum iam deferveſcentem, ſubactis partibus agillimis, iuſta temperie defæcato, ſpiſſiore reddito, & a cholerica ebullitione ad melancholicam quietem ſenſim deducto, placidiore ac lentiore motu cerebri

tem-

temperiem moderante, iudicii inprimis vigor exſurgat, ingenium & intellectus potiſſimum emineant; atque hinc, in iſta ætate, homines in agendo ſint conſtantiores, providi, curis dediti, ſed quæ animum non deiiciunt, caute & cogitate res tractent, vehementia remittente, præcipitantia deſinente; colligant ab æſtu validiore ſaniorem mentem, in gubernandis affectibus ſint potentiores, & cum adoleſcentiæ cupiditates deferbuerunt, firmata iam ætate eximiis virtutibus præſtent: & hinc, qui in virili ætate prudentiæ non ſit particeps, eandem nunquam conſequatur?

In ætate ingraveſcente & ſenili.

Cur ingraveſcente iam ætate & ſenio ingruente, habitu magis ſicceſcente, fibris magis rigidis & minus elaſticis, & ſimul ad atoniam ac relaxationem pronioribus factis, ut ad vibrationes, in ſenſuum negotio requiſitas, non amplius habiles ſatis & aptæ ſint, ſanguine lento & ſpiſſeſcente, melancholico, pulſu pleno, efficaci, conſtante, ſed tardo, per anguſtias cerebri, quodam tamen modo reſolutas, circumducto, inclinet tum corporis, tum animi robur & alacritas, phantaſia & memoria labaſcere incipiant? ob fibras minus mobiles, nutibus animæ minus promte reſpondentes, iudicium tamen vigeat, ob impreſſiones efficaces, conſtantes, tardas; hinc enim penſitabundi omnia provide circumſpiciunt ac ponderant, attenti, aſſidui, propoſiti tenaces, laboris patientes: multa adverſa fingunt, unde ſuſpicioſi, timidi, moderati ſunt: ut non ſine ratione ſenilis illa vel ſimilis temperata melancholia ſapientiæ ſedes dicatur.

Cur poſtea, quando habitus & fibræ magis exareſcunt, ſanguis vapeſcit, concreſcit & melancholica craſis ac mixtio augetur, fractoque fibrillarum cerebri & nervearum tono & elatere, actionibus languentibus, ſenſuum vivacitas, ob organa inepta, remittat, ut anima neque ideas claras & evidentes ſibi ſiſtere, neque phantaſia continuare, neque

memoria repetere queat: (unde recte & vere *Seneca* senes animo perforato audire dixit, transmittente, quicquid acceperit,) & hinc deficiat quoque rationis acumen? Enim vero, licet iudicium adhuc quodam modo vigeat, tamen, dum memoria senes destituit, & nec recte, nec commode omnia subministrat, ad solidam conclusionem pervenire nequeunt: unde crescit solicitudo, crescunt curæ, sunt pertinaces, morosi, impatientes, tristes, suspicaces, pusillanimes, avari, effictisque mille obstaculis & periculis excruciantur;

In ætate decrepita.

Donec tandem, aucto sanguinis lentore fibrarumque languore, corporis & animi augeatur debilitas, franganturque ut corporis sic & mentis nervi, pereatque sensuum vigor; ob flaccidam & languidam, & ad harmonicos tremores, in sensationis negotio necessarios, minus habilem cerebri constitutionem; & labefactata fere penitus memoria, iudicii vis exigua supersit, atque ad statum puerilem redeant senes, bis pueri inde dicti.

Atque ita in illa conspiratione & harmonia utriusque substantiæ

Crescere mentem atque senescere observamus.

- - - gigni pariter cum corpore & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore: sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas:
Consilium quoque maius, & auctior est animi vis.
Post ubi iam validis quassatum viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus:
Claudicat ingenium, delirat linguaque, mensque,
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.

Et hinc

- - - mentem sanari, corpus ut ægrum
Cernimus & flecti Medicina posse videmus.

ver-

verbis *Lucretii de Rer. Nat. L. III.*

Licebit etiam ex antea dictis aliquo modo cæcas exponere causas, cur naturæ suæ quisque sequatur semina? & quomodo fiat? quando,

Animæ vestigia prima vix evellenda.

- - - quamvis doctrina politos
Constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit
Naturæ cuiusque animæ vestigia prima.
Nec radicitus evelli mala posse putandum est,
Quin proclivius hic iras decurrat ad acreis:
Ille metu citius paulo tentetur: at ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo.
Inque aliis rebus multis differre necesse est,
Naturas hominum varias, moresque sequaceis.

Quo modo

- - - in nostris membris & corpore toto
Mista latens animi vis sit, animæque potestas?

ita quidem, ut tamen nullo modo hoc, secundum *Lucretium*, præsagire videatur, aut colligere inde liceat, materialem & mortalem vivere mentem; nec falsa feratur ratione, quod aiunt

Immortalium animam mutato corpore flecti.

Habitus corporis & temperamentum sequitur quoque actiones mentis.

Neque minus ex antea dictis intelligitur, qua ratione, in mutua illa corporis & animæ conspiratione harmonica, corporis quoque status, partiumque tonus, intensio, motus, temperies, sequantur agitationes animi, ita quidem, ut, sicut corporis constitutio temperata magis vel intemperata ad animæ vires & facultates, rite, promte, alacriter exercendas, expediendas, vel imminuendas, retardandas, pervertendas, plurimum contribuit, ita animæ quoque status, natura, indoles, eiusque vel εὐταξία, εὐπάθεια, vel ἀταξία corporis quoque temperiem vel intemperiem promoveat aut producat: &, ut status, cogitationes, inclinationes mentis pendent a constitu-

ſtitutione & temperie corporis, ita conſtitutio ac temperamentum corporis ab animæ quoque ſtatu & agitationibus, propenſionibus proficiſcatur: utque anima, corpus, moresque animi ſequuntur temperamentum corporis, ita corpus animam, corporisque temperies ſequatur animi indolem & ingenium. Nempe, in ſtatu conſociationis, animæ cogitationes, repræſentationes, & fibrillarum medullarium cerebri, ſive principii nervorum communisque ſenſorii motus & concentus ſunt ſimul & convenientiſſime conſpirant; proinde ut concentum motuum corporei organi e veſtigio excipiunt vel comitantur cogitationes, ita agitationes mentis & cogitationes actutum ſequuntur & comitantur motus convenientes & proportionati communis ſenſorii ſive principii nervorum: unde, cum hoc, eo ipſo, pro certis ac determinatis mentis agitationibus, ſimul certo modo agitetur, intendatur, ſtringatur, non poteſt non fieri, quin toti corpori per diſtributa inde in omnem ipſius ſubſtantiam, filamenta nervea, certus habitus, tenſio, tonus, indeque pendentes certi motus, & ab his proficiſcentes certæ ac determinatæ actiones partium, humorum præparationes, ſecretiones, depurationes &c. certaque proin temperies, aut etiam intemperies inducantur.*

Agitationibus mentis certus habitus inducitur corpori.

Iſta igitur ratione, ex lege conſpirationis huius & harmoniæ, corpus agit in animam & anima in corpus, ſive utriusque ſubſtantiæ actiones convenientiſſime & ita conſpirant, ut immutatis, ſtatu, conditione & actionibus

bus

* *Videntur enim anima & corpus compati adinvicem; ita quod animæ habitus alteratus ſimul alterat corporis formam. Ariſtotel. L. III. de Phyſiognom.* quo pertinet & illud *Galeni de art. parv. C.LXXXV. Liquet autem caveri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicet iræ, triſtitiæ, furoris, metus, invidiæ: hæc enim alterant & a naturali ſtatu corpus avertunt.*

bus unius, alterius quoque ſtatus, conditio & actiones mutentur.

Vnde & hoc intelligitur, quomodo homo irrequietæ mentis certis affectibus, ab ineunte ætate, vel longo tempore indulgens, habitum ſingularem corporis acquirat? &, cum faciei inprimis lineamenta oculorumque lumen & diſpoſitio mentis & affectuum concitationibus, diverſo modo exprimantur *, quomodo facies animi index ſit? quomodo per oculos veluti per portas anima transluceat? quomodo hic ex corticis diſpoſitione de nucleo, ex vaſis conditione de contento, ex vultu æque ac externo corporis habitu de ſtatu mentis, de ingenio, de propenſionibus, proclivitatibus ad certos affectus, virtutes & vitia, iudicare liceat? quomodo frons doceat, quicquid pectora clauſa gerunt?

Habitus, & facies ſunt index animi.

* *Omnis*, inquit *Cicero, motus animi ſuum quemque a natura habet vultum, ſonum & geſtum, totumque corpus hominis, & omnis eius vultus ita ſonant, ut a motu animi quæque ſunt pulſa. Vultus, quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & commutationes poteſt efficere.* Hinc *vultus ſenſum animi plerumque indicat*, hinc *ſermo quidam tacitus mentis eſt.* Cumque nullus etiam affectus ſit, quem non ſpecialis oculorum actio comitetur, hinc *imago animæ vultus eſt, indices oculi*, hinc *is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante eſſe præter hominem poteſt, indicat mores*, verbis eiusdem *Ciceron. de Orat. de Leg.* Rationem vid. apud *Williſium de Anim. Brut. C. XV.* ubi obſervat, quod organa, quæ eiusmodi affectiones exſequuntur, aliter comparata ſint in homine, quam in brutis, quamvis & in his eiusmodi mutationes faciei ſuo modo contingant. Nimirum, ob peculiarem nervi intercoſtalis conformationem ac diſtributionem, mirus conſenſus inter præcordia ac oris & faciei partes intercedit, ita ut quamprimum triſtitia, lætitia, vel alius affectus pectus occupaverit atque commoverit, ſtatim faciei adſpectus illi vel perturbationi, vel aliâ mentis agitationi reſpondeat.

Omnis affectus mentis ſuum habet vultum.

Consuetudo habitum inducit ad virtutes & vitia.

Itemque perspicitur, quomodo quis, per consuetudinem, pronitatem, firmamque facilitatem, sive habitum ad affectus, ad virtutes & vitia, sibi conciliet? dum per crebras actiones organo corporeo sive fibris cerebri medullaribus constans constitutio & habilitas ad intensiores motus & concentus importunos, præcipites, quales in affectibus reperiuntur, & quales hisce occasionem præbent, induci solet: & proin, quanta & hic sit vis consuetudinis, quantum sit a teneris aut longo tempore assuescere? quanti sit affectus pravos mature occupare, & in prima, quod dicitur herba, suffocare, radices in anima & corpore, a fundamentis, quantum licet, proruere, * animum bonis moribus

Affectus in tempore sunt excludendi.

* Vnde & inter regulas Medicas, sive remedia generalia contra affectus, hanc potissimum inculcant, qui Medicinam animi pertractant: *Accuratam adhibe cautionem circa principia. Quamprimum vel minimos senseris motus, rationis imperio insurgentes, illis frena injice.* vid. *Omeisii art. regend. Affect. Ethic. Pythagoric. annexam.* conf. *summe Reverend. Abbatis Schmidii Medicinam Animi, C. IV. §. II.*

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre, quod subiit jugum,

vere ait *Seneca, Tragœd. Hippolyt.* *Facilius est,* inquit *Seneca, excludere perniciosa, quam regere; & non admittere, quam admissa moderari. Nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi se minuive patiuntur. de Ira, L. I. C. VII.* Nec a veritate aliena sunt, quæ cecinit *Ovidius de Remed. Amor.*

Dum licet & medici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine siste pedem.
Opprime dum nova sunt subiti mala semina morbi;
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora dat vires. —

Quale

ribus veræque virtuti adſueſacere, atque habitum ad bonum per conſuetudinem comparare, probeque cavere, ne in naturam & habitum abeant pravæ propenſiones & cupiditates.

Apparet ſimul exinde, quomodo homo, ſi modo libertatis, & eminentis dignitatis ſuæ memor, dictamen rectæ rationis ſequatur, &, obfirmata intentione, inclinationibus affectuum renitatur, atque abſtrahat, aliorſum convertat, & ad alia applicet animum, inſultus hos conſtantia animi ſuperare, atque diſpellere, ſeque liberiorem, & immunem quaſi ab iis præſtare poſſit? Nempe, in iſta mentis & corporis conſpiratione, intentione firmiore mentis, ad alia ſerio directæ, aliisque occupatæ rebus, commune ſenſorium blandis ſenſualis illius harmoniæ & concentus illecebris incitatum, alio quaſi modo intenditur, alia ratione diſponitur, ut alius plane & diverſus a priori concentus oriatur: unde turbato ſic concentu in organo, illecebroſæ illæ ſenſuum impreſſiones quoque turbantur, neque tam grata amplius in animo repræſentatio eſt, neque ex conſequenti tantum

Quomodo affectus constantia animi ſuperari poſſint?

Quale ſit id quod amas, celeri circumſpice mente:
Et tua læſuro ſubtrahe colla jugo.
Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.
Sed propterea nec te venturas differ in horas,
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.
Verba dat omnis amor, reperitque alimenta morando,
Optima vindictæ proxima quæque dies.

Vidi ego, quod primo fuerat ſanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

tum amplius eo inclinat animus, quin potius inde divertit. *

Quid æquilibrium corporis & animæ.

Et ita tandem planum atque apertum est, quid per mentis & corporis æquilibrium intellectum velim. Scilicet nihil aliud, quam eam virium corporis & animæ, ex lege consociationis se mutuo quasi cientium & conspirantium, proportionem, qua cum libero partium fluidarum & solidarum motu, & actionum integritas, & mentis animique vigor, conservatur.

Integritas vitæ corporis.

Enim vero integritas vitæ humani corporis consistit in partium fluidarum legitime, ratione mixtionis & inde provenientium qualitatum, inprimis consistentiæ & fluxilitatis, nec non quantitatis, se habentium per solidas, con-

Otio insurgunt, occupatione dispelluntur affectus.

* Hinc est, quod in otio affectus magis exsurgant, modum excedant & simul ad prava declinent: occupatione vero mentis repellantur. Vnde homines nihil agendo male agere discunt, ut otium pulvinar sit Diaboli. De amoris affectu iam cecinit *Ovidius*: *de Remed. Amor.*

Otia si tollas, periere cupidinis arcus,
Contemtæque iacent & sine luce faces.
Quam platanus vino gaudet, quam populus unda,
Tam venus otia amat. Qui finem quæris amoris,
(Cedit amor rebus,) res age, tutus eris.

— — —

Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes.
Da vacuæ menti, quo teneatur opus.
Sunt fora: sunt leges: sunt, quos tuearis, amici,
Vade per urbanæ candida castra togæ.
Vel tu sanguinei iuvenilia munera Martis
Suscipe: deliciæ iam tibi terga dabunt.

congrue diſpoſitas & conſtitutas, proportionato & æquabili tenore continuato motu. Vitæ vero hominis in mutuo corporis viventis & mentis ratione gaudentis tranquillo commercio, & ea quidem concordia, qua & actionum corporearum liberum exercitium & mentis animique ſerenitas & facultates expeditæ conſervantur. Adeoque quamdiu, in corpore bene conſtituto, liquores influentes vitales motu libero, placido, æquabili & temperato feruntur, & mens præterea in ſtabili ſede & ἐνθυμίᾳ verſatur, nullisque affectuum cupiditatumque fluctibus in diverſum agitur: quin potius ſpecie iucundi gratisque perceptionibus perfuſa, blanda agitatione, principium nervorum, fluidumque nerveum, quod nictu oculi citius, ex lege conſpirationis, * imperium audit, excitat, & hoc per ner-

Vita hominis.

* Qua intentioni ſaltem animæ & determinationi voluntatis e veſtigio reſpondent certi ac convenientes motus in corpore. Ita enim multo facilius hoc comprehendere licebit, quam ſi animam influxu ſuo, tanquam cauſam moventem, hos motus in corpore producere affirmare velimus. Influxus enim animæ in hac, omnem captum noſtrum ſuperante, expeditiſſima promtitudine ac celeritate, incomprehenſibilis videtur. *Stupendum plane eſt*, ſunt verba clar. *Pechlini, illud animæ in muſculos imperium, quæ tam accurate, tamque repente, velut adhibita criſi, iam in hæc, iam alia membra pro neceſſitate influat, motuumque tot ſpecies una gubernet. Nempe, anima eo fere momento, quo vult, exequitur, neque iam longa de motus ſubiecto aut muſculorum delectu deliberatio. Obediunt protinus & ad ſua quæque officia diſcreti, vel non cogitantibus & iam conſuetudine magis, quam ullo animæ imperio, facere videntur quod faciunt. Imo, in quam partem olim ſæpe determinationem accepere, ſpiritus a voluntate & mechanica fibrarum textura invitati, in eam etiam ſponte deinde properant & voluntatis expreſſæ imperium celeritate antevertunt. L. III. Obſ. XXXV.* ubi ſimul id ipſum Funambulorum & Saltato-

Mirandum animæ in muſculos imperium.

 rum

nervos diffuso, cor & alia corporis organa ad motus & actiones promtissima reddit: tamdiu optime se habet homo & sanitate satis ex voto perfruitur. Quamprimum vero sanguis alteratur & ratione mixtionis ac motus pervertitur & turbatur, vel ultra modum expanditur, non possunt non fibrillæ medullares cerebri & nervorum insolita ratione premi, pulsari, vibrari, fluidi nervorum motus impediri, turbari, atque ita, vi sæpe memoratæ conspirationis, vires animi atque vigor quodammodo debilitari, opprimi, aut etiam, pro vehementia causarum, illius occasione extraordinariæ affectionis, extraordinarii & turbulenti in mente agitationes exoriri.

Affectus motum partium fluidarum & dispositionem ac structuram solidarum maxime immutant.

Deinde, quando anima immoderatis agitationibus & affectuum insultibus abripitur, principium nervorum, fluidumque simul nerveum, quod illa nutu suo solet impellere, dirigere, necessario inordinatis motibus cietur, partes ultra modum constringuntur, sublataque naturali tensione, fibrarumque flexilitate infirmantur, & ad actiones inidoneæ fiunt, pori occluduntur, transpiratio insensibilis *Sanctoriana* supprimitur; in summa, perit æquilibrium inter

rum mobili per omnia petulantia, nec non Gesticulatorum illa fascinatoria manuum digitorumque pernicitate illustrat. Non minus eleganter doctissimus *Barlæus*, *de Anim. hum. admirandis*: *Qua ratione*, inquit, *& quibus apparitoribus mandata mentis deferri possunt momento ad membra remotissima? Cum nec membra hæc, nec spiritus internuncii, aut mandata capiant, aut mandantem norint. Volo currere pedes? currunt: quiescere? quiescunt, &c. Quin illud omni sapientia humana maius est, quomodo pulsantes citharam digiti, pari motu celerrimas cogitationes assequantur; ut nec a mente digitus, nec a digito mens relinquatur.* Nempe, quod observat *Entius Animadvers. ad Malach. Thruston Diatrib. de Respirat.* citharam pulsans simulque tripudians & cantillans musculos circiter trecentos exercet.

ter ſolida oſcillantia & liquida fluentia, & ita ſparguntur multorum & periculoſorum morborum ſemina.

Hæc ergo, ſi probe conſideraverimus, non mirabimur amplius tot & naturales & p. n. in homine effectus, qui deſtructo huic æquilibrio unice debentur.

Inde ſcilicet eſt, quod impreſſiones & inſtinctus ſenſuales animæ ſæpe vigorem & ſerenitatem obtundant & obnubilent, eandemque meliora ſæpe videntem & exoptantem ad deteriora inclinent & abripiant. *Senſuum inſtinctus obtundit & abripit animam.*

Pugnantibus elementis componitur qua vivimus machina, atque vita corporis partium contranitentium motu abſolvitur, ex iis, quæ ſupra ſunt expoſita. Cumque pro motuum illorum æquabili magis vel inæquabili libramento cerebri quoque temperies & ad concentum ſenſualem rite peragendum habilitas ac promtitudo diverſa ſit, atque inde diverſæ repræſentationes, ex repræſentationibus inclinationes, cupiditates, affectus oriantur, proque horum diverſitate rationis quoque exercitium magis vel minus circumſpecte, expedite, provide procedat, atque pro illius æſtimatione, iudicio, decreto voluntas ſe determinet, nullo negotio intelligitur, quomodo motus, impulſus, inſtinctus corporei ſenſuales, animam invitent, ſerenitatem eius contenebrent, libertati eius quodammodo officiant, atque invitam ſæpe ac reluctantem inducant & pertrahant, ita ut dum videt meliora intellectus, deteriora ſequatur voluntas. *Pro diverſo partium contranitentium libramento ſenſuum perceptiones diverſæ.* Scilicet, quemadmodum in ſtatu integritatis ſumma in carne erat ſanitas, in anima tota tranquillitas, maximus utrinque vigor, compoſitiſſimum æquilibrium, nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas moleſtias hominis ſenſibus ingerebat, verbis *Auguſtini, de Civit. Dei, XIV.* adeo ut anima imperii, cui deſtinata erat frena, quibus appetitum ſenſualem regere *Hominis ſtatus in ſtatu integritatis.*

ipſi

ipsi integrum erat, tenere, &, si bona sua curæ cordique habere voluisset, domina ac in herilem conditionem missa dare iura, non accipere, libera esse, non servire potuisset. Ita post lapsum mutata ac infracta integritate ac temperie animæ & corporis, conditio utriusque substantiæ, fracto æquilibrio, mutata, atque vires mentis ita perversæ sunt, ut a pristino vigore & illimi serenitate deiecta & in eam conditionem detrusa fuerit, ubi, obtritis puris, intellectualibus ideis, a sensibus fere pendeat, horumque ac obiectorum carnalium ingenio metiatur & æstimet omnia, sui imprudens obliviscatur, se ipsam negligat, sibi facile imponi patiatur, labem in vase suo a situ quasi contrahat, motibus corporeis fatigetur, aggravetur, sensuum impressionibus, stimulis, illecebris, allectamentis in recto rationis usu turbetur, præpediatur, obruatur, obfuscetur, impellatur, alliciatur, a veris arceatur, ad falsa deducatur, pertrahatur, ad amorem boni apparentis, quod sensus proponunt, incitetur, ab amore boni veri, quod ratio videt & probat, revocetur, usque adeo, ut, licet relictis ex pristina integritate, per immensam Divini Creatoris benignitatem, præstantibus adhuc viribus exornata sit, atque, per DEI gratiam, libera adhuc & rationalis, si velit adiutorio altiori se dignam reddere, viribus concessis uti, sibique & corpori prospicere ac cavere, possit his inclinationibus & irritamentis reniti, instinctus sensuales ratione regere, compescere, cohibere; tamen sua culpa, captiva circumferatur, (ratione, quæ frena hic tenere & affectus iisdem moderari debebat, ab his fracta & sub iugum missa,) motuum corporeorum se permittat imperio, legem membrorum tristiaque iura servi sui sequatur, fiatque affectuum & voluptatum mancipium.

Status post lapsum.

Ita

Ita nempe pars animalis, instinctus sensuales in homine obluctantur bene & moraliter vivendi elateri sive rationi. Et inde oritur disharmonia, discordia, lucta & certamen inter appetitum sensitivum & rationem, quin & inter carnem & spiritum. Inde lex membrorum, ratio & voluntas carnis, & ex carne nata libido spiritui, id est, menti divina luce illuminatæ, secundum tenorem sacrarum litterarum, semper & usque se opponit. Nempe in hac imbecillitate, turbata corporis & animæ integritate, sensuum impressiones, instinctus, illecebræ invitant, alliciunt, instigant animam, necessitatem tamen non imponunt, quin potius anima his inclinationibus obniti potest, cumprimis quando institutione exculta, consuetudine confirmata, maxime quando divina luce illuminata est, ubi pristinæ bonitatis semina in illa exsurgunt. Hinc illa lucta *, quando aliud sen-

Disharmonia & lucta inter appetitum sensitivum & rationem: inter carnem & spiritum.

* Originem atque progressum huius luctæ poëtica suavitate exposuit Medicus Χαρμέσιλος, *Io. Nicol. Pechlinus*, qui, sub *Venantii Pacati* nomine, *Solitudinem* seu *Querelam de Tempore* A. 1704. in lucem edidit, cuius verba, etsi prolixiora, hic apposuisse non ingratum fuerit, quum non omnium manibus teratur elegans iste libellus.

Origo & progressus huius luctæ.

Inter se geminæ dubio certamine partes
Stabant, una alii contraria, par sibi neutra,
Spiritus atque Caro; nec enim, quæ vinceret, ante
Decerni potuit, quam pugnam fata tulissent.
Natura precioque sui pars una micabat,
Sana locum merito cui dant suffragia primum,
Quod cognata DEO caput altius extulit, & se
Dividit in rerum causas arcanaque cæli.
O felix, data si voluisset iura tueri,
Et tanto, potuisset enim, se munere ferre.
Altera sorte minor, Carnisque infixa medullis,
Sensibus & blando vultu stimulata libido,
Affectu specieque regi cui plurima virtus,

ſenſus & phantaſia, magnis blanditiis, proponunt, ſuadent, importune etiam & ſæpe cum impetu obtrudunt; aliud ratio videt, probat, cupit, exoptat bonum. Alterum alterum excludit, neque utroque ſimul potiri poteſt anima; & quando uno frui cupit, altero eandem carere neceſſe eſt. Vtrumque blanditur, utriusque particeps fieri deſiderat. Vnum tamen eligat oportet. Hic Hercules conſiſtit in bivio. Quid faciat? quo ſe vertat aut determinet? Senſus bonum ſiſtunt apparens quidem, caducum, tranſitorium, ſed plerumque præſens & acceptiſſimum, quod blan-

Mens ſicut Hercules in bivio.

Ad terram propenſa magis, tactuque miniſtro
Corporeas tantum ſectari promta figuras.
Hoc par commiſſum mundi naſcentis arena
Tum ſua, tum generis venturi fata regebat.
Et, ſeu læta forent ſeu triſtia, ſola voluntas
Auſpiciis impulſa ſuis, & libera paſſim
Feralem poterat voto decidere pugnam.
In medio fuit ara DEI, cui ſacra precesque
Vitaque & ambigui ſuberat fortuna duelli,
Quæ Pacem elogio ſpondebat & invida Bellum.
Semina namque boni fructus & ſemina pravi
Arboris extabant ſpecie, quam tangere dextra
Relligio ſanctique DEI præcepta vetabant.
Hæc ſi culta homini iuſta pietate fuiſſet,
Nec dona illicito temeraſſent vota ſapore,
Et nunc ſtaret homo fortunaque priſca maneret,
Mensque ſuis poſſet ſe viribus usque tueri,
Atque triumphalem ſub vincula ducere Carnem.
Sed dolor! ignavo ſuccumbit ſpiritus auſu,
Quique poteſt viciſſe, ſuo ſeſe impete perdit.
Nempe boni ſpecie Pomum fallebat & umbra,
Fecerat oblitosque ſui iuſſique paterni.
Tertius in partes Carnis qui venerat hoſpes,

Nec-

blanditiis grataque impreſſionis dulcedine magni boni ſpeciem mentitur: Ratio bonum verum, præſtans, ſtabile, abſens tamen plerumque & futurum, deſideratiſſimum. Illo non ſine moleſtia & ingrato ſenſu caret anima, hoc tamen etiam maxime exoptat. Si originis ſuæ memor lumen intendat ſuum, atque phantaſiam, quæ abſentia, futura & remota tanquam præſentia conſpicienda ſiſtit, in partes vocet, atque ratio cum ea fœdus quaſi ineat, contra appetitum & cupiditates, illius fucum, offucias, præſtigias perſpicit, expendit, parvi facit, inſuper habet, contemnit, atque huius præſtantia magis movetur, quam illius blanditiis ac fucatis deliciis: & ſic ratio in hoc certamine

Phantaſia rationem iuvat.

Necdum flagitio notus nec crimine, Serpens
Inſinuat pariter latus ſua Toxica menti,
Et Lancem inclinat mediam, quæ pondere victa
Acceſſuque doli gravior, pro Carne Tropæa
Explicat, imperiumque malæ dedit obruta parti.
Atque hinc mutata ſemper ſtatione rebellant
Spiritus atque Caro. Suntque irrequieta viciſſim
Regna: memor namque ille ſui quo ſanguine cretus
Ereptos queritur repetitque a corpore faſces.
Cum contra Corpus, niſi mavis dicere Carnem.
Conſuetis ceſſisque ultro ſe iuribus effert,
Quodque tenet regnum, longinqui temporis uſu
Aſſertumque ſibi deberi turgida iactat.
Et iuvat, inventum Carnis, Præſcriptio, cauſam.
Quippe, ut de ſpolio menti ſit iuſta querendi
Materies, non illa ſono queſtuque movetur.
Sed neglecta, inquit, cauſam fatalia perdunt;
Et mea iam ſunt ſceptra, tuus mihi quæ dedit error,
Et victrix paſſim dominor, regnumque propago
Arte mea, facilesque traho per devia ſenſus.
Ergo hinc prima mali labes iam didita venis
Per genus humanum ſtygiam circumtulit auram.

tamine est superior. Quando vero sensuum blandis illecebris ac instigationibus magis auscultat, atque, serenitate ipsius turbata, immemor aut oblita præstantiæ suæ aversoque aut suppresso suo lumine, obtritisque purioribus ideis, sensualia, præsentia bona, quibus phantasia magis & fortius impletur, (hinc phantasia plerumque a parte appetitus & affectuum stat & militat, nisi firma bonæ mentis intentione, vel suasionibus & eloquentia excitata absentia tanquam præsentia constituat, atque ita in partes rationis abeat) præ hoc futuro maioris facit, & cum Esavo prærogativam suam edulii deliciis posthabet; in ista lucta succumbit ratio, atque anima imperium malæ dat obruta parti: idque eo facilius, quo efficacior est vis sensationis, & quo importunius, in corpore disposito & ab æquabili succorum temperie pariter ac solidarum partium temperata intensione deficiente, sensuum exstimulationes rationis vim retundunt, eidemque insultant.

Phantasia plerumque a parte appetitus stat.

Neque hinc opus esse intelligemus, ut, ob discordiam hanc & in contrarium inclinationes appetitus sensitivi & rationis, duplicem in homine animam, ac, præter motus impulsusque corporeos & instinctus sensuales, principium aliquod aliud, ac brutam quandam animam comminiscamur *; aut cum veteribus, ex *Pythagora* & *Platonis* schola,

Vna, non duplex in homine anima.

* Equidem probe perspectum habeo, quantam hæc discordia, cum inter veteres, tum recentiores, opinionum dissensionem & discordiam concitaverit, & quomodo hæc in contrarium inclinatio illorum mentes in diversa egerit, atque in præcipitia sæpe & syrtes abripuerit. Novi etiam, quid posteriores pro stabilienda illa de tribus hominis partibus sententia ex lumine revelato afferre soleant. At vero cum hæc sententia ratione sufficiente destituatur, & deinde (α) in creationis historia nulla mentio, nullum indicium partis tertiæ,

Ex S. Scriptura tertia hominis pars essentialis non probari potest.

ſchola, animum in duas partes dividamus, alteram rationis participem facientes, alteram expertem: inque participe

tiæ, animæ ſcil. a ſpiritu aut ſpiritus ab anima diſtincti inveniatur, & (β) myſteriorum DEI pariter ac Naturæ conſultiſſimus *Salomo*, *Eccleſ. XII. 7.* quando de morte & diſſolutione hominis ipſi ſermo eſt, duarum ſaltem partium, quarum una *revertatur in terram, quemadmodum erat*, & altera *revertatur ad DEVM, qui dedit illam*, mentionem faciat: porro (γ) pagina ſacra mentem humanam indiſcriminatim, modo ſpiritum, *Matth. XXVII, 20. Luc. VIII, 55. XXIII, 46. Actor. VII, 60. I. Corinth. VI, 20. I. Corinth. VII, 34. II. Corinth. VII, 1. Coloſſ. II, 5. Iacob. II, 26.* modo animam *Geneſ. XXXV, 18. I. Reg. XVII, 21. ſeq. Pſalm. XXXIII, 20. XLII, 2. 3. 6. 7. 12. XLIII, 5. LVII, 2. LXIII, 9. CXXX, 6. LXI, 10. Sap. III, 1. Matth. X, 28.* vocet: nec (δ) infrequens ſit ſacris ſcriptoribus rem unam diverſis vocabulis indicare; ut proinde, ubi diverſæ voces in uno loco ponuntur, non ſemper res realiter diſtinctæ denotentur, prout pluribus locis hoc ipſum demonſtrare liceret. Adhæc (ε) mentem noſtram, diverſo reſpectu, animam dici & ſpiritum, cum ſacrarum literarum, tum Interpretum antiquiſſimorum ac ſaniorum teſtimonio conſtet. Sic enim *Auguſtinus* in *Explic. Cant.* *Vnus*, inquit, idemque *ſpiritus ad ſe ipſum dicitur ſpiritus, & ad corpus anima. Anima dicitur in quantum eſt vita corporis. Spiritus vero, in quantum eſt ſubſtantia ſpiritualis.* Quo ſenſu *Ambroſius*, *Comment. in Epiſt. I. ad Theſſal. C. V.* ſpiritui cogitationes, animæ affectus tribuit. Sic etiam Beatus *Lutherus Tom. I. Ienenſ. fol. 479.* locum *I. ad Theſſal. V, 23.* exponens, non partes eſſentiales hominis diſtinctione illa inter ſpiritum & animam indicari, ſed diverſas facultates & operationes mentis, quarum intuitu modo ſpiritus, modo anima vocetur, proponi aſſeverat. Das erſte Stück/ inquit, poſtquam alia quædam præmiſiſſet, der Geiſt/ iſt das höchſte/ tiefſte und edelſte Theil des Menſchen/ damit er geſchickt iſt/ unbegreiffliche/ unſichtige/ ewige Dinge zu faſſen/ und iſt kürtzlich das Hauß/ da Glaube und GOttes Wort innen wohnet. Das andere/ die Seele/ iſt eben derſelbe Geiſt nach der Natur/ aber doch in einem andern Werck/ nemlich indem als er den Leib lebendig macht und

cipe rationis ponamus tranquillitatem, sive placidam quietamque constantiam: in illa altera motus turbidos, contrarios inimicosque rationi: multo minus, ut ad exoletos & nimis inficetos veterum errores delabamur, qui ex duobus principiis, bono & malo, coæternis, insociabilibus, atque hinc perpetuo conflictu cum se invicem decertantibus, quorum unum sit a DEO, anima scil. rationalis, alterum a diabolo, corpus cum anima sensitiva, hominem conflatum esse, non sine putidæ dementiæ opprobrio commenti sunt. * Eadem enim anima, quando lumine suo & liber-

Veterum de duplici principio, bono & malo, errores.

durch ihn würcket / und wird offt in der Schrifft vor das Leben genommen: dann der Geist mag wohl ohne den Leib leben / aber der Leib lebt nicht ohne den Geist. Diß Stück sehen wir / wie es auch im Schlaff und ohne Unterlaß würcket / u. s. f. Tandem (ζ) vocabulum spiritus, in S. Scriptura, quandoque non tam partem quandam hominis, quam gratiam & dona Spiritus Sancti, magno interpretum consensu, innuat: *I. Thessalon. V, 19.* Hinc facile, quæ ex eo capite obmoliuntur, dilui posse attendenti & loca, hanc in rem adducenda, secundum sensum, connexionem & harmoniam Scripturæ curatius inspicienti & expendenti, apparebit: neque exinde necessitatem nobis impositam video tertium eiusmodi hominis essentiale principium admittendi, salva, quam veneror & maximi facio, sacrarum literarum auctoritate.

Democriti, Manichæorum, aliorumque de hominis origine errores.

* Ita *Democritum* sensisse ferunt: hominem natum esse ex antiquissima contentione belli inter bonum & malum, quum duo isti inimici æterni sibi invicem occurrerent & decertarent, atque, durante conflictu, quilibet partem quandam substantiæ suæ sibi abripi pateretur: tum enim particulas illas boni & mali insociabiles licet, fortuito concurrisse, iunctasque fuisse, atque ita mixtum ex duabus constituisse; idque primum fuisse hominem. Huic ineptæ opinioni non adeo dissimilis est *Manichæorum* insulsissima atque impia sententia, qui hominem ab æterno principe tenebrarum de duarum naturarum commixtione creatum, teste inprimis *Augustino*, contenderunt.

& libertate utitur, atque sensus non audit, blanditias eorum spernit, parvi facit, & obfirmata eorum instigationibus

derunt. Cacodæmonem enim partem luminis ex substantia divina clanculum abstulisse perhibebant, illamque, sacrilego & exsecrando conatu, cum sua substantia miscuisse, ea intentione, ut opus inde prodiret, quod sit Deus: produxisse vero hoc modo θεοδαίμονα, id nempe, quod vocatur homo. Sic tota fere Gentilis antiquitas, in illa sanioris Philosophiæ ignorantia persuasum habuit, hominem ex principio bono & malo esse compositum, quod Poëtis & Philosophis occasionem præbuit, fabulas & carmina condendi, atque imagines & emblemata inveniendi, quibus naturam hominis repræsentarent, & miseriam atque discordiam utriusque substantiæ exhiberent. Ita de *Prometheo* conqueruntur, quod, quum adeo exacte & concinne, secundum regulas Architectonicas, proportionis & symmetriæ, fabricam corporis humani exstruxisset & elaborasset, oblitus quasi præceptorum artis suæ, negligentius in mente formanda versatus fuerit, utpote cuius inclinationes omnes sint irregulares & reprehensione dignæ. Ita *Platonem* hominem exhibuisse ferunt, sub specie animalis capite humano conspicui, unde descendens & protensa longa & larga pellis, infra leones, tigres, leopardos, dracones, molossos involvebat, qui se invicem dilacerabant, & quorum fremitus & ululatus dabantur audiri. *Pythagoras* naturam humanam navi infortunatæ comparabat, quæ, ruentibus in eandem quatuor ventis cardinalibus, versus quatuor mundi plagas impellebatur, quæque tempestate ultro citroque iactata & circumacta, nulloque modo procedens, circumvolutas diruti opificii reliquias ad cælum convertebat, huic quasi ruinas suas ostendens, & misericordiam ipsius exposcens & implorans. *Empedocles* hominis naturam imagine facis ab igne sacro accensæ, & in aqua impura, cœnosa, quo fatum eandem detruserat & absconderat, ardentis, exprimebat. *Zoroaster*, ut miseræ humanæ sortis effigiem tabella designaret, currum delineasse dicitur, qui vehebat inquietudines, dolores, lachrymas; quandoquidem duabus partibus oppositis, in diversa violenter trahebatur. In isto curru multa reperiebantur, quæ admirationem movebant & delectationem affe-

bus resistit, meliora videt, probat, & sequitur: quando vero sensibus, tanquam consiliariis plus æquo auscultat, atque oblita eminentis præstantiæ suæ, depositaque dignitate, familiarius iisdem utitur, horumque, non optimorum semper, nec incorruptorum consiliariorum, consiliis & suggestio-

Sensus non optimi nec incorrupti consiliarii.

afferebant, multa quæ lachrymas exprimebant, ac non sine misericordiæ significatione videri poterant. Ab una parte iuncti conspiciebantur quatuor equi candidi, aureo & purpureo ornatu effulgentes: his insidebant quatuor parva numina, illustri cæli lumine prælucentia. Primo vehebatur *Ratio*, facem manu tenens, quam accendebat pluvia scintillarum radiantium, de firmamento decidentium, & pulchre collucentium. Secundo *Amor*, manu gestans flagellum, quinque vel sex chordis flammeis, zephyrorum flatibus incitatis, contextum. Tertio *Honor*, cuius frontem ex lauro corona cum intertextis stellis, splendide radiantibus, cingebat: pedes calcaribus, pretiosis gemmis undique exornatis & exsplendescentibus, muniti, non nisi pretiosis ictibus equum exstimulabant atque incitabant, mirandumque luminis splendorum utrinque circa latera superbi, cui insedat, equi, diffundebant. Quarto tandem *Virtus*, quæ virga, colore præcellente cœruleo insigni, cordi humano, in curru sedenti, templum quoddam, ad quod contendebant, per & super rupes ac præcipitia, prius quam eo pervenire possent, superanda, commonstrabat, cuius portæ apertæ prænitente iucundo, quod fundebant & dispergebant, lumine satis superque ostendebant, quod hoc esset templum superbum & eximia domus gloriæ. Ab altera & posteriore currus parte alii quatuor equi iuncti comparebant, sed nigri, terribiles, perhorridi, naribus flammas, velut accensi sulphuris, eructantes, proiicientes, & dorso quatuor Furias vehentes, quæ anguibus atque colubris, talis ipsarum alligatis, equos utrinque instimulabant, ut subsultarent & versus voraginem vel barathrum tenebris horrendum, quod istæ anhelabant, cursum dirigerent. Istæ Furiæ erant *Ira*, *Impudicitia*, *Avaritia*, & *Invidia*. Currus iunctis his utrinque equis ultro citroque trahebatur, & tanta quidem vi ac impetu, ut distrahi pene & diffringi videretur.

ſtionibus movetur, ſibi imponi, duci ſe, induci, trahi, invitam ſæpe & repugnantem patitur, illisque ſe permittit, ab illis quaſi pendet; tum videt quidem, licet non ſemper pervideat, meliora probatque, deteriora ſequitur.

Ex quo facile apparet, quænam ſit illa communis humanitas, ſive animalitas potius, quæ legem moralem iugiter oppugnat, & ex qua veniam erratis ſuis petere ſolent homines? quænam illa pars animalis? quænam natura perverſa, ubi, quod ſervire debet, imperat? de quibus conqueritur *Democritus* apud Comicum Gallum:

Communis humanitas, ex qua veniam erratis petimus.

- - - - - la partie animale
Avoit pris malgré moy le pas ſur la morale;
La Nature perverſe entrainoit la Raiſon,
A l'univers entier j'en demande pardon.

- - -

Ie n'ay point eſté tel, que j'ay voulu paroitre,
Vrayment foible au dedans, Philoſophe au dehors,
L'eſprit etoit la dupe & l'eſclave du corps.

- - -

De la Philoſophie en vain on ſuit les loix,
La Nature en nos cœurs ne perd jamais ſes droits,
Et comptant nos deffauts je vois plus, je calcule,
Qui n'eſt point de mortel qui n'ait ſon ridicule,
Le plus ſage eſt celuy, qui le cache le mieux.

Quin potius illum feliciter ſapere hinc diſcimus, qui hominem, non animal ſe eſſe novit, * atque parti animali, ſen-

* Homo corpore gaudet & parte animali, ſed homo tamen non eſt animal, neque ſine gravi ratione vulgarem hominis definitionem, quando Animal rationale dicitur, exploſione magis, quam patrocinio digniorem iudicarunt plures ex recentioribus, cum Philoſophis, tum Medicis. conf. *Introduct. noſtr. in Phyſ. recent. Part. Spec.*

Homo non eſt animal.

ſenſuum impreſſionibus, cupiditatibus, affectibus, rationis imperio, pro dignitate & eminentia hominis, dominari, non parere, ſervire, ſuccumbere;

Non ſervum vitii pectus habere ſui,

humanum hominеque dignum eſſe, perſuaſum habet, atque illud humani a ſe non alienum putat.

Deſtructum inter animam & corpus æquilibrium etiam evidenter obſervatur, quando intemperies corporis animum quoque contagione quaſi afficit, eundemque in morum quoque intemperiem abripit. *Fieri enim*, inquit Vir Naturæ conſultiſſimus, *Excell. Bergerus, de Commod. Vit. ſobr. p. 32. omnino debet, ut, quo magis corpus a temperie humorum recedit, hoc magis animus, eodem ipſo Naturæ intemperatæ impetu, a temperie morum recedat, eoque facilius, oblata leviſſima ſpecie & offenſa, in motus & perturbationes præceps rapiatur, hisque translato in corpus impetu, cum iſta corporis intemperies, tum ea aucta intemperies quoque animi augeatur ipſa & confirmetur.*

Intemperantia & ſanitatem & animi dotes corrumpit. Neque hinc longe petenda ratio eſt, cur qui gulæ ſequuntur ingenium & non ſolum cibos conquiſitiſſimos ſanguini volatiliori generando aptos, ſed & reliquos tanta copia ingerunt, quam natura, ex mente *Sanctorii, Med. Stat. S. III. Aphor. 9.* nec facile coquere, nec digerere, nec perſpi-

Spec. C. IX. p. 658. Ita iam dudum quoque monuit Illuſtr. ICtus, *Hulde-ricus ab Eyben, auguſti Cameræ Imperialis Iudicii Aſſeſſor quondam excellentiſſimus*, ex definitione hominis, vel potius particulæ eius ſequioris, &, in relatione ad alteram, longe viliſſimæ, vulgata, multas ineptas concluſiones & conſectaria, non tantum in theoria, ſed in praxi quoque proficiſci, quæ homini, ratione gaudenti, & præſertim Chriſtiano offendiculo eſſe queant. vid. *Copia* Schreibens von einer hohen Stands-Perſon des hochpreißlichen Cammer-Gerichts zu Wetzlar / auf des Kayſerl. Raths *Erhard. Weigel.* Vorſchlag zur Kunſt- und Tugend-Ubung.

ſpirare poteſt, non ſolum ſanitatem & vitam, ſed & ipſius animi dotes & mores corrumpant? Nempe, quoniam illis ſanguinis moles præter modum expanditur: his vero in ſuccos copioſos crudos & perſpirationi minus idoneos degenerantibus vaſa opplentur, infarciuntur, ut ſanguis crudior in hac vel illa parte congeratur. Cumque ſic utrobique vaſa ſolito magis dilatentur, non poſſunt non nervi, qui arterias ubique comitantur, vi quaquaverſum nitentis in latera ſanguinis, premi: quo ipſo æquilibrium inter fluida & ſolida perit, nervi & inprimis muſicum communis ſenſorii opificium, ab ordinata & temperata harmonica intentione, quodam modo, deturbatur, & ſic æqualis animi & corporis proportio cum diſpendio vividi mentis vigoris tollitur. Et ſic, quod eſt apud *Horat. L. II. Satyr. II. 77.*

- - - corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affigit humi divinæ particulam auræ.

Idem evenit, ubi ſuppreſſa perſpiratione *Sanctoriana*, (qua tantum in pluribus unica die naturali evacuatur, quantum per alvum quindecim dierum curſu, *Med Stat. S. I. Aphor. 60.* quæque, in aëre quidem Italo, ceteris paribus ⅝ aſſumtorum æquat, *Aphor. 6.* atque omnium ſenſibilium excretionum aggregatum ſuperat,) cruditatibus & nimia ſanguinis copia vaſa ſunt oppleta. *Sanctoriana perſpiratio ſuppreſſa idem producit.*

Simili prorſus modo omnes humores ſic dicti ſpirituoſi, inebriantes, & omnia quæ ſanguinem expandendi atque concitandi vim habent, narcotica, opiata (quorum in corpus agendi modum poſt acutiſſimum *Pitcarnium*, *Diſſ. de Circul. ſang. in animal. genit. & non genit.* celeb. *Frid. Hoffmannum*, *Diſſ. de vera opiatorum agendi ratione*, egregie non minus quam vere per rationes & experimenta demonſtratum dedit excellent. *Bergerus, de Vi Opii rarefacien- *Ebriamina tollunt æquilibrium.*

te) ſanguinis nervorum elateri contranitentis preſſionem augendo, liquidi in illos influentis motum & diſtributionem liberiorem quodammodo præpediunt: unde non ſolum partes, inprimis muſculi, quorum validæ tenſioni corporis robur innititur, debilitantur, ſed etiam cerebro eiusque fibrillis gravatis, oppreſſis, arteriarumque inſolitis pulſationibus vibratis, animæ vigor, qui naturali cerebri tenſione & temperie continetur, perit,* ortisque ita inconditis impreſſionibus, mens loco movetur, tandemque accedente, ob auctam ſanguinis expanſionem, graviore oppreſſione organorum ſenſoriorum, ſomnus obrepit, ſed tur-

Ebriaminum agendi ratio.

* Ab expanſione & rarefactione ſanguinis, per ebriamina ingeſta operoſius tumultuantis, atque hinc nervorum atque cerebri per vaſa diſtenta quadam preſſione illum in ebrietate tum corporis torporem, tum mentis ſtuporem oboriri, ex eo apparet, quod omnia, quæ æſtum & expanſionem compeſcunt, aut nervorum in adverſum niſum augent, aut ſanguinem ipſum imminuunt, ebrietatem quoque, ceteris paribus, diſcutiant: qualia ſunt, aquea, diluentia, diuretica, ſpiritus præſertim ſalini, acidi, qui & calorem reſtingunt, rarefactionem reprimunt, nervos fortius intendunt, & ſimul vi diuretica abſtrahunt & educunt; hæmorrhagia etiam & venæ ſectio, qua ſæpe oborta & inſtituta temulentia ceſſat, aut multum tamen imminuitur: confirmat hoc inprimis doctiſſimi *Borrichii* obſervatio *in Actis Hafnienſ. Vol. V. Obſ. LXXII. Potabant*, inquit, *in caupona militares aliquot homines, & iam iis præ vertigine tectum ambulare videbatur, ita ſe vino & cereviſia generoſiori invitaverant, cum Magiſter equitum, cuius imperio parere neceſſum erat, ingreditur cœnaculum, adiectisque minis cogit equos inſcendere, ut mandatum iter perſequantur. Illi ebrii, & vix ſui compotes, nec inſcendere ſe poſſe, nec etiam hærere in equis, nutanti corpore ſatis declarant. Tum ille ſtomachabundus ad chirurgum ſuum vertitur, & ſeca inquit temulentis venam, ut ſubito comitari queant, res enim moram non patitur. Dictum, factum; miſſo liberaliter ſanguine, equites ad ſanam mentem redeunt, & Magiſtrum ſuum non ſegnes ſequuntur.*

Ebrietas, quibus remediis & quomodo compeſcatur.

Temulentia v. ſ. diſcuſſa.

turbulentus atque insomniis plenus, pavidusque miris rerum imaginibus: cum inordinatis, in cerebri fibris, a causis non unis incitatis & utcunque adhuc intensis, neque tam relaxatis, quam oppressis, agitationibus, ab extraordinaria modo dicta pulsatione, inordinatæ in mente cogitationes necessario respondeant.

Id, quod non æque contingit in somno naturali placido, in quo sublatum aliquo modo mentis & corporis æquilibrium non minus destructo fluidi arteriosi & nervosi renitentis æquali nixui debetur: quando, remittentibus a vivida intentione nervis, horum elater a pressione cordis, turgidarumque & tumentium arteriarum, in illo partium istarum sibi obluctantium continuo in adversum nisu, superatur: quod ex eo quodammodo clarum est, quoniam in somno, relaxata texti nervosi intentione & adstrictione, totus corporis habitus, ab arteriis hinc magis expansis atque distentis, intumescit, (quod vestigia a vinculis laxioribus post somnum in cute relicta evidentissime docent,) atque apertis poris ac meatibus, tempore vigiliarum duplo magis constrictis & coangustatis, perspiratio duplo quoque maior est, teste *Sanctorio*, *Stat. Med. S. IV. Aphor. 2.* *Somnus naturalis placidus.*

Verum, ut plenius hæc intelligantur, observandum: Vigilias nos appellare illum humani corporis statum, ubi adest actionum animalium, sensuum & motuum liberum exercitium, vis rationis viget, anima sui iuris est; ubi organa & instrumenta istarum actionum, fibræ medullares cerebri & nervorum a copia succi influentis aut animi operosius intenti agitationibus, quibus agitationes communis sensorii sive principii nervorum convenientes respondent, ita tenduntur, ut vividæ nervorum undæ sanguini in arteriis prementi, validiori nisu, resistere, proque mentis *Vigiliæ.*

arbitrio, ex lege consociationis & conspirationis toties memoratæ, ad partes dirigi, & motus externis sensoriis ab obiectis impressi, ad commune internum, reflexa fluidi directione, propagari possint, atque ita, libero inter animam & corpus commercio, motionum ac sensuum actiones vigeant. * Somnum vero nos vocare illum statum, ubi liberum illud sensuum & motuum exercitium consopitum est, & certo modo conquiescit, ** vigor corporis & animi aliquo

Somnus.

* Vnde *definitionum medicinalium*, *Galeno* adscriptarum, auctor vigilias dicit expansionem, sive extensionem animæ a principio ad corporis partes omnes, atque particulas: ex falsa, tum *Galeni* ipsius, tum aliorum ex veteribus, opinione de anima materiali.

** Hinc *Galenus* eundem quietem vacationemque ab animalibus actionibus vocavit, *L. I. de Sympt. caus. C. 8.* auctor vero *definit. medicinal.* delationem animæ secundum naturam a finibus ad principatum; ex antea dicta falsa hypothesi, quod anima sit materialis, atque ita ab externis sensoriis ad interiora se recipiat. Conquiescit vero illud exercitium in tantum, non in totum; magis & minus, pro conditione subiecti: in somno placido & in statu naturali; cum alias in somno turbulento, quando insomnia graviora importunius mentem irritant, (qualis est somnus ebriorum, febricitantium, melancholicorum, aut aliorum etiam, quorum sanguis æstuans aut copiosus nimis caput infestat, atque inconditis pulsationibus cerebrum impellit,) non omnino sublatam esse movendi potentiam, ipsumque actuale motus exercitium, testentur ὑπνολόγοι, qui in somno sæpe alta & distincta voce aliquid eloquuntur, clamant, rident, eiulant; nec non illi, qui insomniis agitati manibus pedibusque tundunt, feriunt, calcitrant, & sæpe amicissimos accubantes verberibus excipiunt, dum sibi cum inimicis rem esse somniant: itemque febricitantes, deliri. Inprimis vero hoc ipsum confirmant somnambuli, in quibus mens in somno maxime actuosa, irrequieta, fixiore & vehementiore intentione ad aliquid agendum se determinat, & efficaci voluntate, organa motuum ad eosdem aut similes motus, quos in statu vigiliarum ad animæ nutum & arbitrium peragere solent, per-

Exercitium sensuum & motuum non in totum hic cessat.

Somnambuli.

aliquo modo remittit, atque rationis usu integro, tantis-
per

perciet, ita ut isti homines, somno licet oppressi, miranda sæpe perficiant, & quidem constantius ac certo modo perfectius quam vigilantes. Equidem somnambulos, non tam vere consopitos, quam potius semisomnes, in statu medio inter somnum & vigilias esse, plurimi existimant. Verum profundo sæpe somno eosdem esse oppressos, ex eo perspicitur, quod difficillime, & aliquando, ne per plagas quidem inflictas, ex observatione *Horstii*, excitari possint. Licet enim somnus illorum sit magis actuosus & insomniis inquietus, est tamen plenus & profundus satis somnus: sicut ebrii profundissime sæpe dormiunt, ut vix possint excitari, & tamen actuosa animi deliramenta, & vocibus ore prolatis, & membrorum motibus satis superque produnt. Causam mirandorum eiusmodi observationum haud adeo difficulter deprehendet, qui ea, quæ supra *p. 51.* inculcavimus, expenderit. Scilicet hoc experientia iam definivit: somnambulos esse temperamenti melancholici, aut melancholico-cholerici; quales homines, ut de die magis sunt cogitabundi, ita & de nocte efficacius somniant, & ut de die acutius cogitant, ita & subtilius & constantius imaginantur de nocte. Adeoque in somnambulis est *In somnambulis fixa & fortis est imaginatio.*
(1) repræsentatio in mente constans, efficax, per imaginationem fortiorem ac fixiorem, ubi anima, vi operatrice, ideas per somnium formatas fortiter sibi sistit & pertinaciter tenet, ac tenui quidem, per somnum, & aberrante iudicio, se ad actus quosdam determinat, actumque voluntatis valide exercet. Deinde & illud experientia compertum habemus, ista subiecta habitu gaudere, pro ratione istius temperamenti calidioris, siccioris, graciliore, agiliore, ubi fibrillæ cerebri adstrictæ magis & firmæ, ac simul elasticæ tali tono ac dispositione sunt præditæ, ut non tantum vibrationes & oscillationes sensuales semel susceptas diutius, eodem modo, continuare, atque ita vividam phantasiam exercere, sed etiam, in somno, easdem ad nutum animæ promte & efficaciter repetere valeant. Hinc dispositio hereditaria multum hic contribuit, hinc adolescentes, iuvenes, viri huic affectui obnoxii magis sunt, quam infantes, pueri, ac provectæ & grandioris ætatis viri: itemque viri facilius eo corripiuntur, quam fœminæ. Præterea affectum istum, in tali corporis statu & dispositione,

per intercepto, aut impedito, (propter repræſentationes, ob organum mutatum, mutatas, leviores, obſcuras,) anima

tione, inprimis obrepere obſervamus, quando cerebrum a ſanguine accumulato, congeſto, expanſo, æſtuante, aut ebulliente, iuſto magis impletur, importunis pulſationibus impellitur & exagitatur, ita enim ſomnus inducitur quidem, ſed turbidus, inquietus, inſomniis gravioribus pleniſſimus. Hinc affectum hunc, tanquam cauſæ procatarcticæ, excitare ſolent ebriamina, narcotica, & omnia, quæ ſanguinem rarefaciendi & expandendi vim habent, vid. inprimis *Henr. ab Heer*, qui ſomnambulum illum, poëſeos Profeſſorem, nunquam ſopitum, lecto ſe moviſſe tradit, niſi vino prius nimis ſe repleviſſet: *Obſerv. p. 32.* itemque omnes cibi & potus flatulenti, qui corpus inflant, ſanguinem diſtendunt, nervos opprimunt; nec non conſtitutio auſtrina, aër pluvioſus, nebuloſus, ex obſerv. *Iacob. Horſtii de Noctambul.* qua, imminuto aëris exterioris pondere & preſſura, teſte barometro, ſanguis & humores intumeſcunt, atque reniſum nervei ſyſtematis ſuperant, ac cerebrum inprimis premunt, ex iis, quæ ſupra *p. 35. ſeq.* tetigimus. Itemque periodica ſanguinis accumulatio, commotio & ad caput congeſtio; unde lunæ motum & phaſes ſequi hunc effectum exiſtimant, quamvis huius affectus periodus, experientia teſte, non magis ac aliorum plurium affectuum periodi, ad lunæ motum alligata ſit. Periodus enim non tam a luna, quam increſcente eo uſque ſanguinis copia, ut naturæ oneri incipiat, eſſe, atque cerebrum inprimis ita aggravet, ut fluidæ in illo & ſolidæ partes æqua & pari libra ſubſiſtere nequeant. Proinde (2) in ſomnambulis commune quoque ſenſorium, licet per ſomnum quodammodo oppreſſum, in illa fibrarum diſpoſitione & habilitate, firmæ ac fixæ mentis intentioni efficaciter concinit & valide commovetur. Hinc (3) non poſſunt non organa motus, per connexionem nervorum conſpirantia, a motu configurativo communis ſenſorii ſimul ad tales actus incitari, quales ſimilis, in iſto, motus efficacior, in ſtatu vigiliarum, excitare ſolet. Et ita ſomnambuli conſtanti motu plurima, quæ admirationem movent, in ſomno, ſine ulla conturbatione, conſtanter ac perfecte peragunt.

Commune ſenſorium efficaciter movetur.

Organa motuum conſpirant & incitantur.

Cauſa

anima sui iuris non est.* Quando nempe consumtis, dis- *Causæ somni.*
sipatis nervorum undis; vel mente a seriis cogitationi-
bus

Causa itaque, quæ hic certa motus organa ad certos motus *Causa motuum in somnambulis.* ciet & determinat, est fixior idea & determinatio voluntatis in anima, cum qua, ex lege conspirationis, simul oritur determinata commotio in communi sensorio; & per hanc, ope nervorum, inde prodeuntium, pro machinæ dispositione & coaptatione, producuntur membrorum motus.

Fiunt hæc, ut in vigilantibus, ita & in dormientibus, vacillante qui- *Fiunt hi motus cum intentione, sed non cum attentione mentis.* dem iudicio, cum firma & fixa mentis intentione & voluntatis determinatione, licet non cum singulari attentione: quod in dormientibus & somniantibus eo minus mirum videri debet, quo frequentius hoc ipsum vigilantibus, in cogitabunda mentis occupatione, accidere solet. Agnovit iam *Galenus*, fieri sæpe motus in corpore nostro, non adhibita attentione mentis ad partium istos motus. *Neque*, inquit, *palpebrarum motum semper mente assequeris: neque, cum concionem habes, aut oras, aut disputas, adhibes mentem omnium partium motibus; neque cum Athenas adis ex Piræo omnibus particularibus curarum actionibus. Nam cogitabundi sæpius imprudenter peregere iter, aut etiam præterierunt locum, ad quem principio proficiscebantur. L. II. de Mot. muscul. c. 5.* Ita obdormiscentes motus sæpe, quos firma intentione vigilantes inchoaverant, prosequuntur: quod ipsi celeb. *Platero* accidit, qui a cœna testudinem pulsans & obdormiscens in lusu pergebat, digitis apte officium peragentibus. *Obs. L. I. p. 11.*

* *In somno*, inquit *Hippocrates*, *anima vigilat, & cum quidem* *In somno anima sui iuris non est.* *corpori inservit, in multas partes distributa,* non sui iuris est, (*sive, sui rationem non habet,*) *sed partem aliquam singulis corporis partibus, sive sensibus distribuit, auditui, visui, tactui, gressui, actioni, ac omni corporis facultati. Ipsa autem animæ cogitatio* sui iuris non est, (*sive, ipsa autem mens sui solum rationem non habet.*) *de Insomn.* Ita *Hippocrates* ex suis principiis & hypothesibus. Interea illud satis exploratum & compertum habemus. 1. Animam in somno ab externorum sensuum impressionibus esse liberiorem. 2. Organa sensoria non minus ac commune sensorium in cerebro, a pulsibus arteriarum per illa dispersarum, quodammodo exagitari atque percuti, magis

M vel

bus conquiescente, fibræ a vivida illa intensione remittunt, atque ita, sublato æquilibrio & sanguinis prævalente expansione, aliquo modo pressæ tantum non transmittunt, quantum, ad intensionem sufficientem, pro motus & sensus negotio perficiendo, requiritur, necessum est sensus & motus feriari tantisper, ob instrumenta laxiora, nec ad recipiendas & propagandas impressiones, nec ad nutus voluntatis exequendos satis apta, αἰσθητηρίων πρώτων ab ope-

---

vel minus pro corporis constitutione & temperie. Cumque omnia sensoria, unumque præ alio, magis vel minus, a causis internis incitata, motus suos ad commune sensorium deferant, illudque ad concentum, vel consuetum, vel illum, ad quem habilitate sua propendet, & proclive est, anima simul conspirante, provocent, hinc anima varias, sed tamen organi vibrationibus convenientes, in ista conspiratione, repræsentationes sibi sistit: & licet, ob nervos, vel laxatos, vel oppressos, impressiones leviores, superficiariæ, vel inordinatæ & obscuræ sint: anima tamen, cum efficacioribus, ordinatis, distinctis, non occupata sit, illas quasi percipit, cum iis conspirat, & iisdem convenientes format ideas. Quin & ipsa, dum ad præterita & antea accepta intentionem dirigit, eorumque reminiscitur, ipsum commune sensorium ad convenientem concentum excitat, quo ipso & nervi, quod supra *p. 51.* vidimus, in consensum trahuntur; sed dum concentus ille, ob organi inhabilitatem, est obscurus, inordinatus, repræsentationes animæ claræ & ordinatæ esse nequeunt, hinc nec anima easdem recte percipere, recte perspicere, multo minus recte æstimare, discernere, de iis iudicium ferre, eas conferre & comparare, neque vim rationis exercere valet, nihilque recte aut sapit aut intelligit. Ita anima non est sui iuris, sive non habet, quia non potest habere, rationem sui: & dum, percussis a causis internis sensorii cuiusque nervis, ipsoque communi sensorio, cum nervis connexo & conspirante, modo huius, modo illius sensorii motus prævalet, ab omni sensu aliquid accipit, &, ex lege consociationis & conspirationis, sibi repræsentat, & ita per omnes sensus, actiones & facultates distributa est, ut modo aliquid audire, videre, contingere, progredi, agere sibi videatur.

operando, in tantum, in quantum ab externis obiectis, sensoria ferientibus, excitatur, suspendi, languente cerebro, vim quoque & attentionem mentis hebetari, atque ita animi & corporis æquilibrium quodammodo tolli. Sed cum moderata & placida sit hæc cerebri & nervorum pressio, pulsuque cordis & sanguinis circuitu sedatiore, omnia in corpore humano remissiore, sueta ratione procedant, hinc anima a sensuum externorum commercio & contagione libera quodam modo, nullis, quæ inquietam illam reddere aut conturbare possent, insomniis exagitatur.

Scilicet Animus, cum, languore corporis, laxatis fidibus, musici organorum sensoriorum opificii, nec membris, nec sensibus uti potest, incidit in varia visa & incerta ex reliquiis inhærentibus earum rerum, quas vigilans gesserat aut cogitarat. *Somnia unde?*

Nempe mens in illa agitatione sive actuosa contentione, quæ nunquam quiescit, in variarum rerum contemplationem declinat, imagines & ideas affectat: ita incidit in eas, quas vel antea, vel proxime cum attentione, aut quodam affectu contemplata fuerat, vel quas frequens cogitatio exercuerat, quæ fixiore & fortiore impressione, eaque vel grata desiderabili, vel ingrata, terrifica, formidabili, ipsam æque ac organum exagitaverant, vel quæ consuetissima ipsi sunt, quibus inprimis delectatur, aut quas impensius desiderat, * vel quibus organum, internis corporeis causis

* *Et cui quisque fere studio devinctus adhæret,*
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens:
In somnis eadem plerumque videmur obire.
Caussidici causas agere & componere leges:
Induperatores pugnare, ac prælia obire:

causis incitatum, occasionem præbet. Cumque nulla possit fieri repræsentatio mentis, sive idea immaterialis, nisi organum communis sensorii motu quodam configurativo determinato quasi concinat, atque idea materialis simul respondeat, hinc anima intentione sua musicum illud sensorium, in illa conspiratione, quidem conciet: sed cum illud quodam modo relaxatum, aut etiam oppressum, impeditum, atque ita ab ordinaria harmonica sua intensione aliquo modo deturbatum, ad vibrationes liberiores ac motus istos harmonicos iam minus aptum fit, & ad exactum convenientemque concentum concitari nequeat, hinc incipit quidem phantasia, intentione mentis excitata, varios concentus & quasi modulamina in organo, quibus respondent certæ ac convenientes repræsentationes & imagines in mente, sed interrupta, aut etiam confusa, inordinata, quia organum in totum non conspirat, nec ita relaxatum aut oppressum sufficienter aut libere contremiscere, atque exquisitum distinctumve motuum configuratorum concentum exhibere potest: unde fit, ut partem tantum, neque eam satis claram, ab iis, quæ aliquando, vel paulo ante, aut sæpius, interdiu sensibus acceperat, sibi sumat & sistat anima, unamve cum altera combinet; hinc variæ illæ in somniis imagines & sæpe chimæræ, pro diversa partium fluidarum temperie vel intemperie, solidarum dispositione, intensione, elatere, mobilitate, nec non pro motuum, agitationum, concitationum inter-

Quomodo oriantur insomnia?

Nautæ contractum cum ventis cernere bellum.
Nos agere hoc autem & naturam quærere rerum
Semper, & inventam patriis exponere chartis.

Lucret. L. IV. Hinc somnia sæpissime sunt formæ rerum optatarum, quæ subministrantur a phantasia: & hinc, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

internarum varietate, cumprimis pro leviore ac placidiore, vel fortiore ac profundiore, constante magis vel transitoria impressione diversæ, * cum perturbatione mirabili, menti obversantur. **

Quando enim humorum in corpore motus, per solidas partes, recte dispositas, atque æquabiliter, temperate, sed satis tamen relaxatas, liberius placidoque ac æquabili nisu procedunt, quemadmodum in temperatioribus, sanis ac sobriis solent, levibus saltem ac transitoriis, quorum vix reminiscitur, somniis agitatur animus.*** Quando *Somnia leviora, transitoria.*

* Inde apparet, somnia esse repræsentationes animæ, in somno quoque magis vel minus operosæ, tum animæ ipsius, organum communis sensorii simul ad motum determinatum configuratum percientis intentione, tum organi a causis internis, certo modo dispositi, intensi, ac incitati, in anima simul convenientes illi intensioni repræsentationes excitantis, agitatione formatas; sed, ob organum laxatum, oppressum, & ab ordinaria intensione deturbatum, debiliores, leviores, obscuras, confusas, inordinatas, depravatas. *Somnia quid?*

** Hinc, ut deliria dicuntur vigilantium somnia, ita somnia dormientium deliria dici possunt; quandoquidem obscuras, depravatas, in mente ideas, per obscuras inordinatas, confuse concurrentes in organo impressiones, enatas, nec recte perspicere, nec æstimare, nec conferre, nec diiudicare potest anima. Delirium enim non tam ex fortiori, quam depravata potius imaginatione, proficiscitur, ut recte iudicat Excell. *Elias Camerarius, System. Cautel. Pathol. C. VIII. p. 291.* *Somnia dormientium deliria.*

*** *In somno factæ imaginationes & visa ob id statim excidunt, quod pars animæ imaginativa, obscuras & superficiarias impressiones rerum non conservat, quales contingunt per somnos. Quamobrem obscure, in somnis, agente anima, obscuræ etiam imaginationes fiunt, ideoque neque stabiles. Galen. L. II. de Mot. muscul.* *Somnia quædam cur facile excidant?*

Scilicet, in somno naturali placido, nervi & fibrillæ principii nervorum sunt laxatæ, & ab intensione ordinaria remissæ, atque adeo

do vero, in corpore intemperato, partibus solidis iusto magis & p. n. adstrictis, cerebri fibrillæ iusto quoque magis intensæ, incitatæ, nec, prout in somno par est, facile laxandæ, (atque ita in somnio magis oppressæ quam laxatæ) ab humorum copiosorum, a iusta temperie declinantium, orgasmo aut æstu concitatorum, vel alia de causa, spasmis v. gr. ad caput compulsorum, congestorum, illudque opplentium, imperitis pulsationibus agitantur, gravioribus, fixioribus, plus minus turbulentis, exstantiora vestigia, suique memoriam (ob profundiores atque constantes magis impressiones, atque constantiores ac fixas magis illis respondentes ideas) relinquentibus somniis inquietatur. Hinc non solum *Hippocrates Libr. de Insomn.* ex sanorum & ægrorum

Somnia exstantiora, graviora.

fides in musico illo opificio ad vibrationes efficaciores minus aptæ, & hinc impressiones, tum in organo, tum in mente, sive ideæ materiales & immateriales, sibi invicem respondentes leviores & superficiariæ, transitoriæ, obscuræ, neque hinc memoria tam facile repetendæ: unde cum illorum impressionum sive somniorum non facile reminiscamur, nulla nos habuisse somnia opinamur, cum tamen anima in se semper operosa etiam in somno vigilet ac cogitet, nec unquam homo etiam profundissime dormiens sit sine somniis. Neque enim gravis somnus somnia penitus extinguit, animumque altius mergit, quam ut uti ulla repræsentatione sinat. Vnde intelligimus, quid innuere velit ille *Sanctorii Aphorism. XXVII. Sect. IV. de Medic. Stat. Qui dormiunt & non somniant, bene perspirant, & versa vice:* h. e. qui inter dormiendum somniorum non recordantur, in illis totum genus nervosum est laxius, pori apertiores, renisus in vasis minimis minor.: hinc negotium perspirationis liberius procedit. E contrario vero, quando somniis exagitatur homo, efficaciores esse vibrationes, atque exinde principium nervorum cum nervis ipsis, totumque corporis habitum magis adstrictum, poros constrictos, atque renisum in vasis minoribus & extremitatibus maiorem cognoscimus; quod in statu p. n. febricitantium somnus turbulentus & deliria inprimis confirmant.

In somno sine somniis extantioribus bona perspiratio.

rum ſomniis præſagia ferre docuit, * ſed & alii poſteriorum temporum celebriores Medici, pro humorum & temperamentorum varietate ** diverſis in ſomno imaginationibus

Somnia pro temperamentorum varietate varia.

* Scilicet inſomnia ſunt Medicis aliquando tanquam duces & exploratores ad temperiem & intemperiem corporis dignoſcendam. *Inſomnia, quæ per ſomnum apparent, de diurnis actionibus, & reddit mens quomodo facta ſunt, ea, quæ ſeria & iuſta in re per diem facta ſunt: aut de quibus conſilium initum eſt; hæc homini bona ſunt: ſanitatem enim ſignificant. Propterea quod anima in diurnis conſiliis perſeverat, neque repletione, neque evacuatione, neque aliqua alia forinſecus allapſa re, victa. Hippocrates, de Inſomn.* Scilicet hæc denotant iuſtam & ordinatam cerebri diſpoſitionem, in qua commune ſenſorium, nulla alia cauſa incitatum aut turbatum, animi operoſi intentioni iuſto modo reſpondet, atque ideas, licet, ob relaxationem, leviores & obſcuriores, utcunque tamen ordinatas, concentu leni & placido exprimit. E contrario, quando genus nervorum & commune ſenſorium, a cauſis morboſis internis irritatum, incitatum, adſtrictum, & a tono ſuo deturbatum eſt, in illa, a cauſis ſomni oppreſſione, nec mentis intentioni ordinate reſpondet, varioque modo a pulſibus internis percuſſum perſonat quaſi, & ſic confuſas, inordinatas, profundiores, graves, ingratas ideas parit, quæ animæ, a corporis vitio moleſta iam ſenſatione gravatæ, occurrentes, exagitationes vehementiores, pavores, timores, labores, genereque nervoſo in conſenſum abrepto, convulſiones, in delicatis cumprimis, ſæpe producunt. *In ſomnis,* inquit *Galenus, quando ad cerebrum humor infeſtus* (qui cerebri diſpoſitionem naturalem & tonum pervertit, fibraſque concitat) *pervenerit, timores, labores ac convulſiones fiunt. Comm. ad Aphor. L. IV. 67.*

Somnia Medicis ſunt ſigna ſanitatis & morborum.

** Scilicet ſomnia non tantum ex iis, quæ interdiu agimus, ſed etiam ex corporis diſpoſitione emergunt. Nec omnino fruſtra ſunt veteres, ex quorum mente, humorum æqualitas, (ratione mixtionis pariter ac motus & diſtributionis per univerſum corporis habitum) iucunda ſomniat, permulcentia & ſpem inducentia optabilem, melodias, convivia, & dignitates. Hic ſcilicet organum communis ſen-

Somnia ab humorum æqualitate.

nibus mentem occupari tradiderunt, atque hinc ex insomniis corporis dispositionem coniecturis quibusdam depre-

sensorii optime dispositum conspirat cum mente contenta, tranquilla, in spem optimam erecta; cumque haec, ad iucunda quaevis intenta, omnia, quae grata esse possunt, desideret, & semper exoptet, hinc in somno, quando desiderio & intentioni animae promte & expedite consonat organum, omnia desiderabilia occurrunt. Vbi singulorum humorum redundantia in corpore delinquit plethorico, somnia aliter se ostendunt: opinatur enim quis se moveri non posse, aut ingestabili onere gravari, seu linguae esse impeditae. Humorum enim copia, vasa infarciens ac distendens, motuque magis impedito per vasa transpressa, nervosum genus, in ista a somno relaxatione efficacius premit, illiusque elaterem reprimit, neque id sine molesto animi sensu, qui, quum sit obscurus, ut anima molestiam quidem graviorem sentiat, causam tamen non perspiciat, hinc ista secundum consueta iudicat, atque eiusmodi causas sibi sistit, a quibus alias eiusmodi molestia oriri solet, nempe pondus externum, corpus aggravans, & vincula linguam impedientia. Qui vero subvolare se opinantur & perniciter quocunque rapi, praetenuibus humoribus abundare creduntur. Humores enim tenues, fluxiles, per partes solidas laxatas, expeditius sine impedimento sensibili propelluntur & transeunt, nervosque remissiores, mobiliores, continuo, volubili impressione, subsilire faciunt, unde levior quasi, nulla praesente molestia, & subsilientibus nervis, perniciter rapi sibi videtur homo. Nervis enim blande & celerius incitatis, speciem motus confusam sibi sistit anima, neque tamen causam perspicit, atque hinc secundum consuetudinem iudicat.

Somnia plethoricorum.

Somnia ab humoribus tenuibus.

Idem saepe evenire in vigilantibus, in statu p. n., ad lectum aegri non unis vicibus observavi. Sub ipsa enim crisi, quum antea, ob difficiliorem humorum per vasa minima transitum, constrictis & renitentibus extremis vasculis, sensus oppressionis in pectore, magnaque omnium membrorum gravitas maximam molestiam attulisset, subactis iam, praeparatis, fluxilioribus redditis humoribus morbosis, atque hinc liberius perrumpentibus, remissiore facto externo habitu, renisuque in extremis, vi & motu cordis, superato, fluida vitalia expedi-

deprehendere docuerunt. Et *Cicero*, quando ſummam laudem ſenectutis eſſe dicit, quod ea voluptates nullas magno-

peditius per ſolida feruntur, volubilique impulſu ſurrepunt, elatere nervorum, antea nimis repreſſo, iam libere reſiliente & quaſi ſubſiliente. Vnde ægri, oppreſſione & gravativo ſenſu liberati, ſibi ipſis leviores facti, & dum nervi ſimul & muſculi, invaleſcente tono, criſin promoventes, ſubſultabant, evehi aut volare quaſi ſibi videbantur, idque adſtantibus æque ac mihi, cum ſolicitudine, neſcientes, quid hoc ſibi velit, ſignificabant.

Ita quoque inſomnia de temperamento teſtantur, quando phantaſia, pro organi diſpoſitione, conſueta & ea ſiſtit, quæ familiaria ſunt, & ad quæ homo, pro conditione temperamenti, propendet, ac quibus delectatur, & quidem confuſe, in organo laxato & ab ordinaria tenſione deturbato. Vnde ſanguinei commeſſationes, cantus, ſaltationes, amores, hortos, viridaria amœna, cæli ſerenitatem &c: cholerici rixas, digladiationes ſomniant. Melancholici vero triſtes, quas vigilantes ſibi formant, ideas in ſomno continuant & repetunt, quæ, cum hic ſint obſcuræ, & varia ratione ac confuſe combinentur, non mirum, ſi maxime deformes & terrificæ ideæ, fumi, caligines, tenebræ, cœmeteria, mali ſpiritus, mortuorum imagines & luctuoſæ res in ſomno occurrant. Eſt enim quædam inter ideas connexio, ita ut ex una altera facile emergat & eliciatur, in organo peculiari modo, a peculiaribus humoribus, imbuto, adſtricto, diſpoſito & ad peculiarem motum configurativum habili reddito. Sic vehemens calor in corpore, in illa obſcura ſenſus, in ſomno, impreſſione, ideam ignis ardentis ſiſtit, de quo in inflammationibus internis, cumprimis uteri, inter deliria, ſæpe ægros conqueſtos eſſe memini. Sic phlegmatis & humorum aqueorum copia fibras nerveas humectat, & ita imbuit ac diſponit, ut facili incitatione eo modo affici poſſint, quo alias ab aqua affici ſolent, unde aquæ idea occurrit, & cum his connexæ ideæ navis, piſcium &c. pluviarum, imbrium, & concurrente ſimul ſenſu quodam gravativo, moleſto, ſubmerſionis; aut oborto ſimul ſtupore partium ac frigoris confuſo ſenſu, nivis, glaciei, grandinis; unde, qui hæc ſomniant, humoribus pituitoſis frigidis abundare recte exiſtimant. Quando bilioſæ partes nervoſas

Inſomnia teſtantur de temperamento.

N orga-

magnopere desiderat, caret epulis exstructisque mensis & frequentibus poculis, caret vinolentia & cruditate, insomniis etiam carere affirmat. Sic experientia docet dari remedia, quæ non tantum vim somnum inducendi, sed & multa in somno spectra iniiciendi possident: vim scilicet narcoticam, qua sanguinem rarefaciunt, expandunt, ut, vi nervorum & elatere represso, lentiori motu sanguis per vasa feratur, caput oppleatur, cerebrum aggravetur: & vim simul acrem, qua genus nervosum stringunt certo modo, partesque nervosas peculiari modo adstringunt, & commune sensorium ab ordinaria & naturali intensione harmonica deiiciunt, & ad peculiarem extraordinariam disponunt. De Aegyptiis scribit *Prosper Alpinus*, illos certo affirmare, si medicamenta quædam narcotica, quorum descriptionem exhibet, assumant, plurima se pulcherrima viridaria, formosissimas puellas, milites, bella, ignes, urbes ardentes, & varia, quibus delectentur, per somnum videre: & de Indis refert *Monardes de Simpl. Med. novi orbis c. de tabaco*, fumum illos nicotianæ per os & nares recipere, animi gratia, quando insomnia videre interdum & extra se rapi vellent, aut etiam de suorum negotiorum eventu ex insomniis, quæ illis apparuerint, iudicaturi. Illud præterea apud Medicos exploratæ veritatis est, non tantum pruritia, a copiosa & turgescente materia seminali, aut alia de causa, laxato, v. gr. ab aëre austrino, corporis habitu, atque

Remedia somnia producunt.

Somnia venerea.

organorum partes imbuunt, stringunt, pungunt, & quasi perurunt, facile, in illa sensus obscuritate & confusione, incendiorum imagines obversantur menti, itemque color igneus, citrinus, qualem biliosi, icterici in statu vigiliarum, omnibus obiectis, ob organum depravatum & humorum vitium, affingere solent, & qui proin illis familiaris est, dum organum dispositum, ad illum repræsentandum, aptius est.

atque intumeſcentibus ſic humoribus, vid. *Car. Piſo, de morb. ex ſeroſ. colluv. S. II. P. II.* æſtuantia genitalia ſomnos venereos menti exhibere & pollutionem ſic dictam nocturnam producere; ſed & obvenire ſubinde, ut in corporibus quibusdam, humoribus lentis minus perſpirabilibus abundantibus, & reſupino decubitu lecto incumbentibus, a cauſis ſatis cognitis, ſenſus gravativus, preſſivus in pectore, conſtringens & quaſi ſuffocatorius ſpeciem in ſomno excitet ſummum diſcrimen repræſentantem & maximum timorem incutientem: quo ipſo conſtricto a timore exteriori habitu & ſanguine ſic repulſo, cor obruitur & ſenſus pectoris gravativus augetur: cumque mens non ſtatim ſenſus huius moleſtiſſimi ſuffocatorii cauſam perſpiciat, ex præſentibus datis, ſecundum conſueta iudicat, & quoniam a pondere abdomini incumbente, eiusmodi effectum provenire poſſe & ſolere, exploratiſſimum habet, hinc aliquid corpori incumbere, illud premere atque ſuffocare imaginatur, idque deinde ex populari errore atque vaniſſima vulgi traditione, a prima infantia ſibi inſtillata, monſtrum vel dæmonem, ſpectrum, Incubum ſive Ephialtem dictum, fuiſſe opinatur, (haud alia ratione ac in tenebris nocturnis pavidi atque timore perculſi, ſollicitæ imaginationis vi, ſpectrum nos apprehendere aut tangere, imo dorſo incumbere ſæpe non ſolum opinamur, ſed credimus: de qua re infra plura dicenda,) cum nihil aliud cauſæ ſubſit, quam motuum corporeorum exceſſus animæ vim ac vigorem impediens aliquo modo & opprimens & deſtructum ſic utriusque ſubſtantiæ æquilibrium.

Incubus quid?

Hinc quoque facile ratio deducitur, cur ſtatim a prandio animus quaſi aliquo modo obnubilatus ad meditationes ſerias minus idoneus ſit, & cur ad ſomnum tum temporis corpus propendeat? Diſtentis enim ab ingeſta

Cur ſtatim a prandio ſomnus obrepat?

 cibo-

ciborum copia primis viis, ventriculo & intestinis, arteria magna descendens, aliique ipsius rami quodammodo comprimuntur: quo ipso, impedito liquidi contenti motu, sanguis ad caput compellitur, maiorique copia cerebrum obruit & aggravat; ut de chylo, sanguinem expandente & in vasis minimis retardante, nil dicam. Vnde sublato fluidi sanguinei & nervei in cerebro æquilibrio, præpeditur huius ad partes liberior influxus, & non solum mens a suo vigore, sed & organa corporis a vivida tensione aliquo modo remittunt, quo ipso languidus duræ mortis frater obrepit. Ita *somnus animali supervenit capite repleto. Gal. L. I. de Sympt. caus. Cap. ultimo.*

Ab aëre æstuante & austrino somniculosa molestia.

Sic etiam, tempore quo caletur maxime, quando aër simul austrinus corporis habitum & tensionem resolvit, nervorumque elaterem laxat, aut quando tempestas imminet, aëre effluviis sulphureis pleno & referto, somniculosa molestia hominem fatigat, atque invisa & incommoda nubila menti producit: concurrentibus enim diversis hic causis sanguis intumescit, expanditur, retardatur in motu, caput opplet, gravat: atque ita sublato fluidarum & solidarum partium se invicem cientium æquabili ac iusto libramento, mentis quoque & corporis ἰσοσταθμία cessat, corpore languente, anima a suo vigore deficiente.

In statu p. n. febribus &c. inprimis destruitur æquilibrium.

Nullibi vero destructum illud mentis & corporis æquilibrium evidentius perspicitur, quam in statu præternaturali, ubi, in variis corporis humani affectibus, cumprimis in febribus, sanguis, vel ad caput, ab aliarum partium constrictione, obstructione aut spasmodica contractione congeritur, vel nimium rarefit & æstuat, & ita caput infarcit ac opplet. Inde enim fibris medullæ cerebri vel in toto vel ex parte compressis, nervisque, ob denegatum fluidi nervorum influxum infirmatis & ab ordinata inten-

Ob congestionem vel rarefactionem sanguinis.

sione

ſione deficientibus, originem ducunt, non ſolum omnes ſic dicti morbi ſoporoſi, iisque maxime affines, vertigo, apoplexia, paralyſis, memoriæ labefactatio, oblivio, ἀναισθησία, ſtupor, hebetudo, iudicii & ratiocinandi facultas infracta, confuſa, turbata, ſed &, ubi organa ab harmonia ſua deturbata, ab internis ſanguinis permeantis & eadem extrudentis impulſibus exagitantur, melancholia, mania, (quam rectiſſime *Hippocrates*, *Tr. de Man. Epiſt. addit.* a cerebro nimium calefacto, hoc eſt, ſanguine æſtuante, repleto & oppreſſo, & p. n. moto deducit, *cum eo tempore homo ſapiat, quo cerebrum quieſcit:* h. e. in debita tenſione & harmonia perſiſtit, confer. *Laurentius Bellini*, *de Morb. Cap.*) febricitantium deliria; Non poteſt enim non fieri, quin ubi, tranſitu nervorum undis præcluſo, nervorumque elatere debilitato, commune ſenſorium totaque cerebri compages ab humorum æſtuantium irruptione comprimitur & concutitur, motus nervorum liquidi inſignem turbationem ſuſtineat & confuſæ fibrillarum modo p. n. diſtentarum agitationes ineptis & inconditis ideis occaſionem præbeant. Inde quoque deliria in Tarantatis & demorſis a cane rabido commode deducuntur, ubi veneno ſubtili, pervadente, activo, acri, tum ſanguinis & humorum mixtio, tum motus turbatur, atque partes ſolidæ ab humoribus, venenata acredine infectis, p. n. modo ſtringuntur, in tono & intenſione ſua ordinaria multum pervertuntur: unde non poſſunt non, ab æſtuantibus & concitatis humoribus, partes ſolidas vehementer extrudentibus & organa ab harmonica intenſione deiecta impellentibus, perverſi concentus & ideæ materiales in cerebro oboriri, hisque ſimiles perverſæ ideæ immateriales in mente reſpondere. Veriſſime laudatiſſimus *Bergerus*: *Si fiat*, inquit, *ut vehementior humorum æſtus ipſam cerebri fibroſam compagem invadat,*

Deliria in tarantatis & demorſis a cane rabido.

eoque immutata ipsius naturali temperie, qua mens rationem suam exercet, cum æstus interioris, tum exterioribus arteriarum imperitis impulsibus totum musicum cerebri opificium committatur, de imperio suo statuque mens deiicietur & amens homo atque insaniens reddetur. Differt. de Vi Opii rarefacient. pag. 20.

Aequilibrium destructum vitio fluidi nervei.

Idem illud Aequilibrium destruitur, ubi sanguinis lentescentis vitio, ob suppressam transpirationem *Sanctorianam, Med. Stat. S. VII. Aphor. 14.* vel aliis de causis, ipsum quoque nervorum fluidum neque sufficienter, neque recte secernitur, & a vivido suo vigore deiectum sanguini spissiori ad caput congesto & segnius promoto, pro eo ac debebat, reniti non potest, vel quando, ob lymphæ hinc inde interceptum motum, defluxiones sic dictæ catarrhales cerebri aut nervorum fibras premunt & regularem in illis liquidi motum præpediunt. Hinc iidem sæpe affectus soporosi & accedente cogitatione fixa ac imaginatione rei timendæ vel dolendæ Melancholia & Mania. *Melancholicorum enim decubitus vel siderationem, vel convulsionem, vel maniam &c. pariunt, Hippocr. L. VI. Aph. 56.* quoniam eo ipso cerebrum, vel totum, vel ex parte p. n. modo comprimitur & genus nervosum afficitur, pluribus id demonstrante laudato *Laurent. Bellini, de Morb. Capit. p. m. 519. seqq.* confer. *Barthol. de Moor, veris œconomiæ animalis, seu humanæ, principiis innix. Patholog. cerebri delineatio.*

In Pica & Malacia.

Ita quoque in Pica & Malacia tollitur hoc æquilibrium: quando a viscerum, & in sexu sequiori, ab uteri vicinarumque partium atonia & obstructionibus sanguis circa ventriculum & appetitus organa congeritur & quasi stagnat; cuius pressione nervea ventriculi tunica a solito tono, & tensione harmonica nativa & ordinaria declinat: cumque, concurrentibus pluribus causis, spasticæ mesenterii,

terii, in subiectis huic morbo obnoxiis simul frequentes, tensiones, per consensum, ventriculi nerveam compagem irritent, solicitent, ac iam labefactatam facilius stringant & exagitent: non possunt non, pro perversa organi intensione, perversi oscillationum & vibrationum modi ad cerebrum propagari, perversae ideae materiales in cerebro exoriri, hisque non nisi perversae repraesentationes sive ideae immateriales in mente coniungi, ut gratissimum saepe videatur, quod vix sine nausea & fastidio intueri, aut ori saltem naribusque admovere potuissent: haud aliter ac in idiosyncrasiis, pro peculiari organorum sensoriorum dispositione, magna varietas in perceptione, diiudicatione, & inde proveniente appetitu, saporum & odorum observari solet.

Simili modo in dysorexia, anorexia, ἀποσιτίᾳ, sive aversatione ciborum, bulimo, fame canina, idem aequilibrium tollitur, sicut etiam in omni sensoriorum & sensuum laesionibus. Etenim sublata organorum eutonia, oriuntur oscillationum & vibrationum, sive fluidi nervei, sive nervorum, vitia, perturbationes, turbatae ideae materiales in organo, & hinc similes his ideae immateriales in mente. Turbato aequilibrio partium fluidarum & solidarum in corpore & organis, turbatur quoque, ex lege consociationis & conspirationis, a Creatore sapientissimo sancita, secundum ordinem rerum institutum, aequabile, ac decens, solitumque commercium sive aequilibrium inter animam & corpus. *Adeo aequilibrii leges, leges sunt sanitatis:* verbis clariss. & perspicacissimi *Hecqueti, Nov. Medicin. Conspect. P. II. C. VI. p. 129.* *In appetitu morboso.*

Qua ratione mentis & corporis aequilibrium, in animi deliquiis, syncope, lipothymia, nec non in Epilepsia, similibusque convulsivis morbis sublatum, eidem sangui- *In deliquiis animi & Epilepsia.*

nis

nis vaſa diſtendentis, nervorumque elateris renitentis, deſtructo æquilibrio debeatur, iis ignotum eſſe nequit, qui hiſtoriam eiusmodi morborum & cauſas, harumque agendi modum, ex Pathologia medica, recte perſpecta habent: ſpeciatim quod & quomodo eiusmodi affectus originem ducant, tum ab oppreſſione & infirmatione, tum etiam, & ſæpe ſimul ab exagitatione & ſpaſmodica conſtrictione generis nervoſi: ut hiſce fuſius exponendis immorari haud neceſſum ducam.

Illud tamen adhuc obſervo, quod exinde planiſſima evidentia conſequitur: magna ſane in Medicina intereſſe, ut non ſolum ſtructuram corporis humani, ſed & motuum proportionem probe exploratam habeamus. Deinde, quemadmodum ad ſanitatem, ita quoque ad præſtantiam vigoremque mentis tuendum multum præſidii in eo poſitum eſſe, ut legitimo ſex rerum, ad ſanitatem tuendam morbosque inferendos indifferentium, ad vitam tamen protrahendam maxime neceſſariarum uſu, iuſta ſanguinis temperies conſervetur, & motus uterque inteſtinus & progreſſivus intra Naturæ mediocritatem contineatur, ac iuſta fluidarum & ſolidarum partium proportio & æquabilis utrarumque in adverſum niſus, æquumque libramentum, continuetur. Tertio nil magis, ut corporis, ita quoque mentis ſanitatem labefactare & illam utriusque ἰσοςαθμίαν turbare, quam nimiam repletionem, aut ſanguinis plus iuſto ebullientis expanſi & arteriarum latera extrudentis, eoque fibrillas cerebri & nervorum prementis, atque pulſantis niſum. Vnde apparet, quam ſibi parum proſpiciant, qui depoſita humani ſenſus temperantia ebriaminibus & potibus ſpirituoſis corpus replent, ſanguinem inflammant, cerebrum opplent, rationis domicilium impugnant, & non ſolum inſignem generi nervoſo labem & ato-

Nimia repletionis nocumenta.

atoniam, in tabem, hydropem & illam corporis carnificinam, querulam arthritidem, ipsamque mortem tandem desinentem affricant, sed, quod potissimum est, perpetua vertigine iudicii lumen extinguendo illius partis, qua homines sunt, usu se ipsos privant. * Hinc deterrima ingeniorum pestis Medicis audit ebrietas; & hæc sine dubio gravissima ratio fuit, cur sapientissimus Regum Reges & Principes vino & ebriaminibus abstinere iusserit: *Prov. XXXI. 4.* ** & cur Carthaginenses olim legibus caverint, ne Princeps eo anno, quo imperaret, vinum biberet: quamobrem ***Plato, de Legib. II.*** vini abstinentiam *** tantopere com-

Carthaginensium Princeps abstemius.

* Idque eo magis, quando nervis ab aliis caussis, præsertim venere iam infirmatis, enervatis, exhaustis, Bacchus iisdem bellum indicit. Vnde vere Poëta cecinit:

Bacchi & veneris connubium valde nocivum.

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus.

Et pro remedio:

Compedibus venerem, vinclis constringe Lyæum.

Vinum bellum indicit nervis, cerebrum debilitat, mentis aciem tenebris obfuscat, oculorum lumen hebetat. Idem efficit venus. Bacchus & Venus artubus bellum inferunt. Inde veteres Venerem Baccho copula matrimoniali iunctam filiam podagram genuisse tradunt. vid. *Rolfincii Ord. & Method. Medic. special. L. II. S. III. C. XLIX. p. 144.*

** Rationem addit, *Salomo:* ne infractis animæ viribus, stateram transgrediantur, ac præter ius & æquum aliquid faciant. *Barthelum* ICtum ad pondus & mensuram bibisse legimus, ut ingenium semper æquabiliter dispositum, nec unquam alteratum haberet.

*** Plato neque in exercitu permittebat, ut vinum gustarent milites, neque in civitate ipsa servi. Sicuti neque principes, neque administrantes rempublicam, neque iudices, neque hi breviter, qui de re aliqua essent consultaturi. Quod nimirum veluti quidam tyrannus animæ facultatibus imperet, & quod, ut in *Timæo* loquitur, ebrie-

Platonis sententia de vini abusu.

commendaverit, ac speciatim pueris ad duodevigesimum usque annum, quemadmodum *Aristoteles, de somn. & vigil.* infan-

ebrietas animam cum corpore calefaciat, ex quo ipsam aberrare & a nobilissimo munere desciscere necessum sit. Sed neque interdiu nisi aut exercendi corporis aut tollendi morbi gratia permisit unquam vini potionem: neque item noctu dum liberis navanda esset opera, ut prolem haberent compactiorem & bonæ temperaturæ viciniorem: ebrios enim mente captos generationi inutiles esse, & fœtus gignere cum membris, tum moribus tortuosos; ut non mirum, si stupida & minus generosa proles subinde ab ebriis parentibus generetur, & hereditaria traduce magna propensio ad potationem & vinolentiam eidem inprimatur. confer. *Willisius, de Anim. Brutor. P. II. C. XIII. p. m. 299. Bonetus, Anatom. Pract. L. I. S. X. fol. 205.* Hinc quoque apud Lacedæmonios, *Plutarcho* teste, *de Educ. Puer.* lege cautum fuit, ut, qui mulieres, prolis generandæ causa, accederent, sobrii, aut vino modico tantum delibuti iis concumberent. Pro virili autem esse enitendum singulis, existimabat Plato, ut alimento, studiis & disciplinis simul & vitium fugerent, & virtutem ipsam capesserent. conf. *Galen. libr. quod mor. anim. sequantur temperam. corpor.* Et pari cum veritate elegantia *Lucretius Carus, de Rer. Nat. L. III.*

Ebrii ad generandam prolem generosam & sanam inhabiles sunt.

Denique (inquit) *cur hominem cum vini vis penetravit*
Acris & in venas discessit diditus ardor,
Consequitur gravitas membrorum? præpediuntur
Crura vacillanti? tardescit lingua? madet mens?
Nant oculi? clamor, singultus, iurgia gliscunt?
Et iam cetera de genere hoc quæcunque sequuntur,
Cur ea sunt? nisi quod vehemens violentia vini
Conturbare animam consuevit corpore in ipso.

Nec abs re *Seneca: Sed in hoc,* inquit, *nosse profuit, ut calentibus ingeniis subtrahas vinum, quod pueris Plato negandum putat, & ignem vetat igne incitari. Nec cibis quidem implendi sunt. Distendentur enim corpora, & animi cum corpore tumescent. de Ira L. II. C. XXI. Per ebrietatem, aucta repente sanguine, animi functiones, eiusque intel-* lectus

infantibus, & nutricibus, vino interdixerit? nec non, cur prudentissimi quique, ex Medicis, opii & opiatorum usum tenellæ ætati dissuadeant? scil. ne, aucto calore expansivo & pressione humorum, cerebro cum genere nervoso molli & tenerrimo vis inferatur, & ita non tantum Epilepsiæ, quæ ob illam cerebri mollitiem & nervorum debilitatem infantili ætati adeo familiaris esse solet, ut νόσημα παιδίων καθ' ἐξοχὴν vocetur, subitæque sæpe morti detur occasio, sed in primis, vis rationis, labefactato eius domicilio, tandem periclitetur.

Et hinc quoque probe cavere prudentis erit, ne pharmacis intempestive adhibitis, & utriusque fluidi, vel sanguinis & nervorum, & animi ac corporis æquilibrium pervertat; ut eo minus mirum, si sanitate misere excidant, qui eandem sæpe nimium concupiscunt, & in secunda valetudine, vel eius, quam vocant, latitudine, adversæ præsidiis Naturam turbant, nullaque cogente necessitate sanguinis motiones subsidiis pharmaceuticis vel incitant, vel cohibent, ac ita nervorum & arteriarum, mentis & corporis nisum ac nutum proportionatum subducunt. Sic qui memoriæ per medicamenta, calida plerumque confortantia, quæ vocant, suppetias ferre laborant, ipsam memoriam,

Pharmacis non facile turbanda natura.

Memoriæ subsidia medica periculosa.

lectus concidit, & malorum instantium obliti, futurorum bonorum optimam spem concipiunt. Hippocrates de flat. Apollonium Thyaneum tantum aquam bibisse ferunt, ne vertigines pateretur, sed somnum caperet leviorem, atque inde ad operas suas philosophicas tanto rediret alacrior. Neque alia de causa olim fœminis vino interdictum fuit, quod nempe eius usus rationis lumen extingueret, stupidas redderet, ac virtutis ianua obserata, vitiis fomentum ac viam aperiret. Vnde, *Valerio Maximo* auctore, accepimus, quod coniugem Metellus fuste delumbatam ac multatam, quod vinum bibisset, interemerit, ac istud quidem eius factum non accusatore tantum, sed & reprehensore caruerit.

moriam, ſanam mentem, ſanitatem corporis, quin & ipſam vitam ſæpe perdunt. Pharmaca enim, in corpus admiſſa, idem non alere, & in eo, in quo eſt, ſtatu conſervare, ſed alterare, eiusque motiones facile vel incitare nimium, vel minuere, ut multæ inde labes nunc manifeſto, modo tacite ſurrepere in corpus poſſint, ſatis exploratum habent intelligentes. Eo ſenſu optima medicina eſt, nulla medicina uti.

Abſtine & efficies quod medicina nequit.

Natura ſanitatis conſervatrix. Naturæ corporis noſtri ordo & partium concentus tam concinne & provide conſtitutus eſt, ut quicquid ad ſui conſervationem neceſſe eſt, omni arte melius efficiat, dum & neceſſarios appetitus excitat, & motibus convenientibus integritatem actionum prorogat & tuetur. Vnde naturam ſapientiſſimam, iuſtiſſimam, providam, eruditam, artificioſam, ſolicitam, quæ nil fruſtra, nil temere, nil incommode, vel quod in perniciem tendat corporis, ex ſe operetur, ſed omnia ad ſalutem & conſervationem dirigat, ſi modo earum rerum uſu ſuſtentetur, quæ optime conſtitutam in hoc ſtatu tueantur, ipſiusque vires confirment, non affligant aut evertant, non ſine ratione vocarunt veteres: modo hæc ſano ſenſu accipiantur, ut ſapientiſſima, iuſtiſſima, idem ſit & denotet ac ſapienter, iuſto modo inſtituta; provida; erudita; artificioſa idem ac in qua omnia provide, accommodate, artificioſe ſunt diſpoſita, ſolicita idem ac in qua omnia expeditius atque melius, ex ſapientiſſimi Creatoris inſtituto, procedunt, quam ſi ſumma hominum ſolicitudine dirigerentur: nec ſapientia optimi Creatoris creaturæ, ſapientiſſime inſtituentis rei ſapienter inſtitutæ, per craſſiſſimum errorem tribuatur, neque DEVS cum natura committatur. Nempe, ex ſapientia inſtituentis Creatoris, valenti, ſua cuique natura, ſapien-

ſapientiſſime inſtituta, ſatis eſt ad proprias convenientesque excitandas appetitiones, quibus ſanitatem ſalutemque tueatur. Intemperatis autem naturis ars, remediis ſuis, prodeſt. Sed valetudo, h. e. mentis & corporis conſtitutio bona, ſuſtentatur notitia ſui, & obſervatione, quæ res aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe, verbis *Ciceronis L. II. de offic.* i. e. cum cognoſcitur, cumque res & modi, quibus lædi poſſit, caventur. Notitia vero ſui valetudinem ſuſtentare, eſt vires ſuas habere perſpectas, & rerum, quarum ope & præſidio vivitur, (quas res Medici non naturales vocare ſolent,) quæ nocent & proſunt, obſervatione recte uti. His utimur, a quibus natura ipſa iuvatur & reficitur: ab his cavemus, a quibus noxam nos ſentire percipimus, idque duce & magiſtra natura: quæ, ut *Cato* dixit, dux vitæ noſtræ eſt optima, multis ipſa ſignis declarans, quid velit, quæ quærat, quæ deſideret, quæ abhorreat, omnibusque modis vim ſuam in nobis, poteſtatemque indicans, cuique ipſi repugnare nihil prorſus aliud eſt, quam Gigantum more cum Diis pugnare: ſunt verba *Franc. Valleriola L. C. L. III. p. 713.*

Valetudo quomodo ſuſtentetur.

Eoque magis in ruborem & confuſionem adducuntur, riſu & exploſione digniſſimi, qui variorum ope pharmacorum & medicinarum illarum, quas inepte univerſales & panaceas vocant, vitam ſanam & longam, quam ſibi ipſis præſtare nequeunt, aliis liberaliter pollicentur, & venum exponunt. Neſciunt, inquit Excell. *Bergerus*, hi, ſi dicendum quod res eſt, illam in opificio hominis divinam artem, ſive tam admirabili partium nexu, atque artificio mechanico conſtructam corporis fabricam, atque adeo veram vitæ & valetudinis rationem, quando medicamentis ex auro, margaritis, & gemmis aliis, lapide bezoar, ambra, croco, myrrha, aloe, nitro, ſalibusque aliis, fixis, vola-

Qui per panaceam vitam ſanam & longam promittunt, rationem vitæ & ſanitatis ignorant.

tilibus, oleosisque confectis, & aquis atque spiritibus vitæ, & eius generis remediis aliis, bonam integramque valetudinem servari contendunt. Res ipsa ostendit, singulari consilio DEVM, tanquam patrem, fideliter nobis prospicientem, distinxisse res nascentes, & alias velle nutrimentum esse, quibus partam vi naturæ sanitatem tueamur & conservemus, alias remedia, quorum auxilio sanitas labefactata sublevetur & restituatur. Ecquis igitur ratione præditus illis adversæ valetudinis præsidiis bonam servare valetudinem sustineat? Fortasse, ut spiritui vitæ & archeo, aut biolychnio cordis, salem volatilem, vel sulphur & oleum perpetuo sufficiat, aut sanguinem corpusque totum balsamo condiat, atque a corruptione præservet, aut calidum innatum cum humido radicali ita stabile firmumque reddat, ne tam facile citoque aufugiat, utrumque & evanescat: quemadmodum Spagyrici nonnulli putant, aurum potabile conversum in nutrimentum esse illud humidum, quod a calore non resolvatur, quod videamus, aurum igne minus absumi. Sed has quisque intelligens fabulas, suis auctoribus facile relinquit, eoque & crumenæ & sanitati tutius consulit. *de tuend. valetud. ex cognit. sui ipsius, §. XIX.*

Aequilibrium a parte mentis sublatum.

Ex hisce iam satis planum esse puto, quomodo, a parte corporis, illa operationum proportio immutetur? restat, ut exemplis quibusdam declarem, qua ratione anima affectibus excitata æqualitatem sæpe reducat, vel a parte sui quoque insigniter pervertat. Hic vero ante omnia observandum, quod supra iam inculcavi: (α) nullum animam in corpore motum, nullam functionem animalem administrare, nisi adminiculo causæ nervorum intensionem & motum producentis & perficientis, vel fluidi nervorum, quod spiritum animalem veteres appellabant.

Dein-

Deinde, quod res ipsa loqui videtur, (β) animi agitationes mediocritatis leges supergressas nimisque concitatas, ex lege consociationis, causam illam intendentem & moventem, vel liquidum nervorum, necessitate mechanica, quemadmodum supra *pag. 45.* expositum est, in partes iamdum influens, impetu quasi superaddito impellere, &, pro ratione plurium concurrentium conditionum, varios partium extra ordinem motus, convulsiones, spasmos, constrictiones excitare. Id quod luculentius apparebit, si, quod *pag. 51.* monui, actionem animæ, sive ideam immaterialem in anima, motum configurativum, sive ideam materialem in cerebro, & motum quendam in organis conspirantibus esse simul, curatius expenderimus. Tum (γ) quod experientia manifestum est, esse in quibusdam hominibus nervorum vel liquidi nervosi ad animæ imperium ita obnoxium motum & fluorem, ut imaginandi vi, ad certam partem, ad quam fixa cogitatio intenta est, dirigi & propelli possit.

Præterea id quoque, a prudentioribus optime demonstratum, admittimus: omnes sic dictos animi affectus, sive agitationes, ex unica radice & fundamento surgere & proficisci, *amore* scilicet *sui ipsius*, quo efficitur, ut omne id, quod homo sibi utile & conducibile credit, desideret, & data opera quærat, appetat, sequatur: quicquid vero damnosum atque nocivum iudicat, aversetur, abhorreat, fugiat: & proinde ad duas classes commode referri, propensionem, cupiditatem, sive *amorem*, & aversionem, sive *odium*. Nempe, voluptas & dolor, & quæ eorum causæ sunt, bonum & malum, cardines sunt, in quibus affectus nostri vertuntur. vid. doctissimus *Lockius*, *de Intellect. human. L. II. cap. XX. 3.* nec non *du Hamel*, *Philos. Vet. & Nov. Phil. Moral. Tr. III. Disput. II. p. m. 735.* Anima versatur circa

Vna omnium affectuum radix.

Binæ classes.

circa obiectum vel bonum, idque sive verum sive apparens, vel malum.

Obiectum bonum quid efficiat in anima.

Illud animam specie iucundi allicit, excitat & lætitia perfundit: quo ipso motus causæ nervos tendentis & moventis, vel nervorum succi, intenditur, ut promtius influat, propellatur, &, ut Naturæ consulti loqui amant, intuitu obiecti grati in elatere expandatur, nec tam ab interioribus ad exteriora, (quod de sanguine tantum, non vero spiritibus seu nervorum fluido verum est,) quam potius ad omnia corporis organa, præ aliis tamen in cor, neglecto quasi aliquo modo, ob animi contenti & imminentium ab extra molestiarum cura vacantis securitatem, exteriori corporis habitu; * qui hinc ob auctam sanguinis pressionem & mutatum quodammodo æquilibrium moderate laxa-

In gaudio spiritus non tam ad exteriora, quam ad cor inprimis propelluntur.

* Expendi merentur, quæ apposite ad hanc rem laudatus supra Clar. *Hecquetus* differit, *libr. allegat. p. 128. Tergeminus*, inquit, *in homine consensus est*, corporis *nimirum*, animæ, *&* externarum rerum, *Creatoris legum vi institutus, quæ proportionum & convenientiarum virtus est; qua stante duranteve lætus ac sibi placens animus, quem ex externis rebus percipit, consensum transmittit ad corpus, perceptionum communionis & sensationum lege, qua, posito* mentis in externis rebus sibi complacentis assensu, nihil diffidens corpus *in se conquiescit, partium suarum* toni, *oscillationum & directionum tenax: secus erit, si ab ingratis rebus externis, quales sunt iniucundæ, tristes aut nocituræ, moleste afficiatur animus, corpus enim ex animi offensa sentiens hunc inter & externas res natas esse repugnantias aut facta fuisse diffidia, ideoque ruptum fœdus esse, has inter & illum, proportionis & ordinis legum, ab ordine ipsummet discedit. In quantum enim ab externis mutatur animæ respectus ad externas res, in tantum violatur dispositura corporis ad animam & ordinatio: unde, quæ ex tergemino concentu alebatur, illius* eutonia *ruit aut labitur. Hinc* oscillationum *vitia*, directionum *errata*, secretionum *peccamina, a labefactato nempe corporis & animæ, rerum, rationum, respectuum & ordinationum æquamento.*

Tergeminus in homine consensus.

laxatur. Et sic *lætitia diastolen & systolen reddit faciliores. Sanctor. Med. Stat. S. VII. Aphor. 48.* sic nihil magis *liberam reddit perspirationem, quam consolatio animi, ib. Aph. 6.* sic *consolatio, quacunque de causa fiat, aperit meatus & largam facit perspirationem, ib. Aph. 19.* aucto scilicet cordis impulsu & laxiore reddito exteriori habitu. * Atque hinc etiam cor in specie exultare rectissime dicitur. Hinc sanguis valido cordis impulsu ab interioribus ad exteriora pellitur, totusque corporis habitus fit floridior, & aucto sanguinis in orbem motu omnes illæ a mente, gaudio refecta, pendentes utilitates & effectus in corpore proveniunt. Inde etiam, corde repentino gaudio aut immodica lætitia celerrime moto & quasi oppresso, sive ultra modum constricto, oriuntur tragici illi effectus, quando exempla non una prostant eorum, qui effuso nimis gaudio fuerunt exanimati, quemadmodum de Chilone Lacedæmonio, Sophocle, Dionysio Tyranno, binis mulieribus Romanis, apud *Plinium, L. VII. c. 53. & Livium, Histor. ab Vrb. cond. L. XXII. Valer. Max. L. IX. c. 12. de mort. non vulg.* de Polycrata, nobili fœmina, Philippide Poëta, Rhodio Diagora, matre

Gaudii effectus in corpore.

P filium

* Hinc *pericharia corpora efficit leviora,* ex observatione laudati *Sanctorii l. c. aph. 1. lætitia moderata insensibiliter evacuat superfluum: immoderata superfluum & utile, aph. 24. lætitia aufert e corpore quod ponderat & levitat: aph. 27. i. e.* & quod crudum & quod coctum est: *perseverans per multos dies vires dissolvit: aph. 28. moderata iuvat coctrices facultates: natura enim non gravata superfluo longe melius suorum officiorum munera explet: aph. 25. acrimonia perspirabilis retenti ob mœstitiam commode aufertur a pericharia, funduntur enim humores suaves, & dein de corpore pondus & acrimonia tolluntur: aph. 11. i. e.* dum corpus levatur onere & molestia, ut tonus & elater nervorum & fibrarum insurgat, actionum vigor instauratur, cruditates subiguntur, corriguntur, attenuantur & expelluntur. Hinc *consolatio animi melancholiam superat. aph. 17.*

Lætitia insensibilis evacuatio promovetur.

filium, pro mortuo iam habitum, ex pugna redeuntem vidente, apud *A. Gellium*, *Noct. Att. L. 3. c. 15.* Fouqueto, Gallo, apud *Pechlin. L. III. Obs. XXII.* aliisque, apud *Zvvingerum*, *in Theatr. vit. hum. L. VII.* & mox citandum *Langium*, *de Mort. ex Affect.* nec non de fœmina, Illustr. *Leibnitii* herede, apud *Fontenelle, Histoir. de l'Academ. Royal. Ann. 1716. p. 156. edit. Batav.* constat.

Terroris & tristitiæ effectus.

Hoc vero, scil. malum, animam terret, unde, dum id aversatur & fugit, consilii quasi inops fluidum nerveum nutu suo in partes subito, vehementer, quandoque etiam inordinate impellit, quasi, constricto exteriori habitu, corpus suum periculo ereptura & contra molestos insultus obfirmatura; * quo ipso, sublato inter nervosam & arteriosam contextionem æquilibrio & constrictis, cum partibus, vasis sanguineis, sanguis ad interiora repellitur, venæ & arteriæ detumescunt; unde rigor, tremor, pallor, non aliter ac sub initium paroxysmi febrilis, & perspiratio impedita. *Mæstitia enim & timor impediunt perspirationem crassiorem excrementorum perspirabilium: & perspiratio impedita, a quacunque causa mæstitiam & timorem facit.* *Sanctor. l. c. aphor. 8.* ** dumque nervorum liquidum pari influxu & æquali

* *Porro,* inquit laudatissimus *Hecquetus, l. a. rationem, qua in nervos aut* solida *agunt* animi pathemata, *aperit illa sui displicentia, in qua versatur animus mœrens. Mœror enim, qui in exemplum veniet, animæ status aut conditio est, sub qua stringentes se nerveæ corporis fibræ, & ad infensæ rei sensum horrescentes, ab oscillationum serie nativa aut ordine solito declinant; hac de causa animam* habebis vigilem veluti corporis custodem, nutibus cuius de rerum circumambientium statu admonetur.

Perspiratio impedita ad mæstitiam disponit.

** *Perspirabile ponderosum plus iusto retentum ad mæstitiam & timorem disponit. aph. 5.* Nervorum enim elaterem gravat, premit, elasticam mobilitatem, vim & vigorem præpedit, tonumque per-

& æquali vehementia in fibras cordis irruit, non potest non id validius constringi, & ita sanguis fortiori impetu elidi; cumque sanguis, in arteriis, a circumferentia repulsus sanguini a corde propulso occurrat & obnitatur, motus in se ipsum reflectitur, unde anxietas, palpitatio cordis, spirandi difficultas, pulsus frequens, plane ut in febribus intermittentibus, quarum etiam rationem formalem in simili sanguinis, a corde expulsi, & a partibus exterioribus simul repulsi, contrario & confuso motu consistere, deductis inde modo evidenti & intelligibili omnibus symptoma-

pervertit: quo ipso anima molestia afficitur, quæ tristitiam parit, neque nutibus ipsius genus nervosum promte & libere obsequi potest: sicuti a tono perverso in organo perversæ oriuntur repræsentationes in mente, quæ, accedente molesto sensu, tacitaque mentis indignatione, cuius causam ipsa mens ignorat, non possunt non timorem & mœstitiam inducere. Cum, e contrario, *libera perspiratio & levitas corporis ad lætitiam disponat*, aph. 5. absente aut cessante in anima molestia, nervisque tono & tensioni suæ restitutis, & ad promta mentis obsequia habilioribus redditis. Hinc *timor & mœstitia, ut ex staticis colligitur, per evacuationem excrementorum crassiorum perspirabilium, ira & perichara per tenuium auferuntur*, aph. 22. *Et si quis sine causa sentiat se hilarem, id a magis aperta perspiratione fit, & eius corpus die sequenti minoris ponderis invenitur*, aph. 23. Hinc *quoque timor & mœstitia corpora reddunt graviora*, aph. 1. *mœrore & timore perspirat levius, ponderosius vero relinquitur*, aph. 2. & 27. *qui eunt cubitum cum mœstitia, noctu minus perspirant*, aph. 15. hinc *timentes & mœrentes facile obstructiones partium, duritiem & affectus hypochondriacos patiuntur*, aph. 3. *mœstitia, si diu duret, carnes frigidas facit, impedit enim, ne crassa & frigida portio exhalet*, aph. 9. h. e. cruditates colligit, viscida frigida accumulat, sanguinisque motus, & distributionem, per vasa minima, æquabilem & sufficientem per spasmodicas, quas inducit & auget, constrictiones, impeditiores reddit. Hinc *febris, quæ post longam mœstitiam suboritur, sudores frigidos & utplurimum lethales molitur*. aph. 10.

Perspiratio libera ad lætitiam.

ptomatibus facile demonstrare liceret, si latius hic digredi liberet.

Vt interea paucis rem complectar. Hoc primo experientia definivit: in omni febri esse pulsum celeriorem *Febrium potiora phænomena.* & duriorem, &, in principio, partium externarum quandam tensionem, rigorem, horripilationem, concussionem modo minorem, breviorem, modo diuturniorem, externam, internam, pro varietate subiecti, causarum &c. hancque semper excipere calorem p. n. ac sæpissime alia plurima notissima symptomata.

Adhæc, illud quoque satis apertum est: febres oriri vel ab iis, quæ nervos exquisite stimulant: sicuti exquisitos *Causæ.* dolores, inflammationes, vulnera, ambustiones, ulcera interna febres concitare observamus: vel ab iis, quæ corpus gravant, premunt, transpirationem prohibent, molestumque sensum inducunt: ingestis difficilioris subactionis, quæ nec facile coqui, nec digeri, nec transmitti possunt; cruditatibus seri viscidioris: unde a perspiratione insensibili quovis modo suppressa id genus mali pullulare solet, ipso etiam *Galeno* consentiente, qui febres, inprimis sic dictas putridas, ob prohibitam transpirationem insensibilem (ἀδιαπνευστίαν,) cuius causa sit στέγνωσις, constrictio vel obstructio pororum cutis, fieri contendit *11. method. 4. B. de diffr. 3. F.* atque ubique fere in expositione causarum, quæ febres excitare solent, ad conditiones tam ipsius transpirationis, quam materiæ perspirabilis respicit. *8. meth. 2. A. de diff. D.* vel ab acribus corrosivis plus minus venenosis: vel ab iis, quæ corpus & animum nimium & iusto vehementius exagitant, v. gr. motu corporis excessivo, æstu nimio intempestivo, vigiliis nimiis, animi affectibus immoderatis: vel ab iis, quæ, per humorum exhaustionem, spasmodicas partibus contractiones inducunt, atque

æqua-

æqualem partium fluidarum & solidarum nisum, æquilibrium & motuum proportionem tollunt; ut sunt hæmorrhagiæ nimiæ, hypercatharses, aliæque evacuationes nimiæ, fames & simil. Paucis, ab omnibus iis, quæ spasmodicam in nervoso genere & partibus nervosis constrictionem producere, cordis motum incitare, atque renisum in vasis minimis augere valent. Hinc *Hippocrates* atque *Galenus*, nunquam fieri febrem sine rigore, qui sine spasmo esse nequit, præcedente, observarunt. Quin docent & ipsa febres comitantia symptomata, cum intermittentes, tum continuas, constrictione vehementiore totius generis nervosi contineri, atque nervos inprimis hic esse affectos: & in continuis quidem, spasmos per plures dies, licet cum quadam remissione, continuare, donec, sub declinatione, causa morbi subacta, &, ut loqui amant, cocta, præparata & ad excretionem habiliore reddita, cutisque & emunctoriorum adstrictione & renixu, vi cordis superato, excretiones, quæ morbum iam solutum denunciant, & criticæ vocari solent, promte expediantur. Hinc quoque est, quod, qui genere nervoso gaudent teneriori, mobiliori, ad constrictiones spasmodicas procliviori, qui naturæ sunt sensibilioris, ut infantes, pueri, iuvenes, itemque sanguinei, cholerici, febribus quoque varii generis sint obnoxii: cum e contrario, qui habitu firmiore sunt præditi, quorum genus nervosum est minus mobile, fortiterque renitens, & proin natura & indoles, tum corporis, tum animi intuitu minus sensibilis, ut adultiores, duriore vitæ genere gaudentes, senes, melancholici, aut etiam phlegmatici, ad febres minus proni sint.

In febribus nervi sunt affecti.

Ex quibus cuilibet facile id quod res est perspicere licet. Nempe pulsus celerior nervos cordis citatiore contractione agitari, & liquidum velocius in illos ingredi

manifeste docet; tensio, rigor & horripilatio idem simul fieri in nervis totius corporis demonstrant. Vnde manifestum est: *Febris quid?* Febrem esse affectum nervorum, atque in horum oscillationibus ac constrictionibus potissimum, & inde oriundo velociori cordis impulsu, ac simul aliorum musculorum succussu, auctaque adstrictione tonica & orto inde maiori renisu in vasis minimis capillaribus, consistere.

Scilicet, si causas modo enumeratas paulo attentius consideremus, in proclivi erit perspicere, quod sensus ille *Febrium ratio.* molestus a causa vel irritante, stimulante, premente, gravante, commune sensorium & ipsam animam exagitet, unde secundum ea, quæ modo observavi, anima irritata, in molesta illa & anxia quasi commotione, ex lege consociationis, genus nervosum fortius intendit & stringit, vel fluidum subtile agitat ac nutu promtiore in nervos propellit, ut nervi undiquaque commoveantur, atque motu subsultorio contremiscant, quo ipso accidit, ut, cum universalis sit hæc nervorum contractio, & cor celerius pulset, & universus corporis habitus constringatur, sanguis proinde a corde ad exteriora vasa minima fortiter propellatur, simul vero a constrictis & per constrictionem exteriorum partium compressis vasis minoribus repellatur, ut, exsuperante exteriori constrictione, cor quasi opprimat, ac anxietates illas circa præcordia producat, ac simul sanguine calido e vasis expulso rigor & frigus in partibus externis oboriantur, donec oborto, ab illa ipsa sanguinis quasi congestione, aut motu contrario sibi obluctante, calore p. n. expansivo & rarefaciente, constrictio reticuli nervosi, a renisu & pressione vasorum sanguivehorum superetur, & sic nervi aliquomodo a tensione remittant, laxentur ac instante atque urgente & invalescente valido ac celeri cordis pulsu, sanguis & cum eo calor p. n. per totum corporis habi-

habitum distribuatur, ut corpus non solum post præcedaneum frigus sic nimium incalescat, debilitetur; sed etiam ob laxatos jam poros, urgente valido motu, attritis ac attenuatis partibus viscidioribus, plerumque, in febribus quidem intermittentibus, sudore diffluat.

Nempe his cordis validius ac crebrius impellentis, ac nervorum nervosarumque partium renitentium & repellentium sibi quasi obluctantibus motibus efficitur, ut sanguis, qui naturali ac sedatiore cordis motu propulsus, calore naturali partes perfundit, licet ab exteriori superficie & vasis minimis repulsus, partes istas constrictas destituat, & ad interiora ac maiora vasa se recipiat, unde rigor & frigus; ista tamen crebriore cordis & nervorum oscillantium agitatione per vasa adstrictioris iam elateris, compulsus, incitatiore attritu solutioneque particularum fervorem æstumque insignem concipiat, turbæque in massa ista tot heterogeneis constante particulis non leves excitentur; dum & ordo partium ac elementorum, mixtura & crasis sanguinis naturalis pervertitur, ut eiectæ extra mixtionis ordinem, quæ antea interiectæ totam intus globulorum sanguinis massam recte & naturali modo agitabant, mobiliores igneæ & elasticæ particulæ, ac in lentorem arietantes irruentesque, assidua concussione motum præternaturalem ac perversum, quo circulus & actiones vitales gravissime turbantur, producant: quo ipso accidit, ut dum habitus robustus, natura fortis ac vegeta, his turbis & insultibus obnititur & resistit, valida ista cordis, viscerum & vasorum pressione, quassu & agitatione, ipsarumque partium turgescentium lucta & mutuo attritu partes crudiores & minus attemperatæ subigantur, dividantur, solvantur, superfluæ & minus miscibiles, nocivæ ab utilibus segregentur, &, pro ratione sapientissime exstructi corporis me- *Febrium effectum.*

cha-

chanismi, per vias congruas, sudoris, urinæ, alvi, atque alias, sensim & paulatim vel confertim eliminentur, aut in abscessum aliquando, in aliqua parte debilitata ac laxata præ aliis, ubi minor est renixus, genitum, e consortio succorum utilium eiiciantur, atque æger morbo isto liberetur.

Hanc generalem febris ideam, si probe attenderimus, atque causas accurate expenderimus, non adeo difficile fuerit & varietatem febrium, pro subiectorum & causarum diversitate, & omnia phænomena ac symptomata, pleraque spasmodica, debilitationes actionum, vera causali connexione evidentissime expedire.

Neque obscurum hinc esse potest, quo sensu accipienda sit *Asclepiadis* sententia, qui, *Celso* teste, *L. III. C. IV.* febre ipsa præcipue se ad remedium uti professus est: & in quantum, cum *Sydenhamio*, febris dici possit conatus naturæ ad bonum finem directus, salutaris, naturæ instrumentum, quo partes impuras a puris secernat, *de M. A. S. I. C. IV. p. m. 29.* naturæ machina ad difflanda ea, quæ sanguinem male habent, *S. III. C. III. p. m. 142.* & in quantum anima febrem excitare dicatur: nempe concurrit hic anima, & febrem eo, quo diximus, modo accendit, id vero non ex instituto, prudenti consilio aut providentia singulari, (cum id non possit non facere, atque hoc providenti consilio susceptum dici nequeat, cuius, quum tamen periculi plenum sit, directio & moderamen in agentis facultate non est,) sed extimulata, territa, præter intentionem, secundum intimi commercii, summæ consensionis & harmoniæ, iussu nutuque providentiæ divinæ, immensique artificis stabilitæ, leges, in corporis mechanismo providentissime accommodato, oscillatorios illos nervorum motus producens: quibus non potest non fieri, quin velocioribus ita ac fortioribus sanguinis & humorum per vasa minima

Anima concurrit in excitandis febribus, sed indirecte.

nima

nima transpressionibus auctisque diversis secretionibus & excretionibus, & ipsæ febrium causæ & aliæ inæqualitates ac cruditates in sanguine, sive semina morbos aliquando productura subigantur, & febres ita salutarem effectum sortiantur.

Eventus itaque in febribus sæpe salutaris, sive salubritas febrium non est ab animæ intentione directa; ista enim, si per illam staret, motus istos, qui maximis ingratiis ipsius fiunt, & vitam in magnum sæpe discrimen inducunt, cohiberet potius, quam excitaret: sed ex ordinatione providentissima benignissimi Creatoris, qui habitum, vires, motus, vel naturam hominis ita accommodavit, conspirationem utriusque substantiæ & commercium instituit, ac legibus suis adstrinxit; ut & turbæ istæ morbosique & molestissimi insultus saluti sæpe esse possint ac debeant, & sic morbis morbos solers natura, ex instituto sapientissimi Conditoris præcaveat, ita quidem, ut, sicut res, quæ vim faciunt corpori ac sanitati, sicut etiam venena sæpe homini prosunt, *Salubritas febrium non est ab animæ intentione providenti.* *Sed ex ordinata natura & conspiratione utriusque hominis substantiæ.*

&, si fata volunt, bina venena iuvant,

sic quoque febres aliique graviores & periculosi morbi homini prodesse, corpus a causis morborum liberare, sanitatem in tuto locare & confirmare, morbos avertere queant, quod haud unis observationibus exploratum habemus. Ita Hæmorrhagias, Vomitus, Diarrhœas, quæ naturam gravissime sæpe, nec sine periculo vitæ, affligere solent, eandem tamen sæpissime, magno onere levare & morbos arcere, quis nescit? Dysenteriam lienosis, arthriticis, podagricis suppetias ferre, & veterum & recentiorum experientia confirmatum est. Arthriticorum cruciatus viscerum sæpe labes præcavere, maximorumque morborum materiam consumere, satis perspectum habent in arte periti; ut ar- *Morborum quor. salubritas.*

tuum debilitas viſcerum robur & ſanitas, externarum partium detrimentum internarum ſæpe incolumitas ſit, atque hinc affectus iſti, qui doloribus & vigiliis valde affligunt ac vires etiam proterunt, ad longævitatem tamen diſponant; cum cauſa periculoſiorum morborum ab internis nobilioribus & principalibus, quas vocant, ad externas minus principales partes per intervalla protrudatur. Ita ſpaſmos, convulſiones, catarrhos, arthritides, paralyſes, aliosque morbos, ſuperveniente febri ſolutos, compertiſſimum habent Medici. *Febrim*, inquit *Hippocrates*, *convulſioni ſupervenire melius eſt, quam convulſionem febri. S. II. Aph. 26. Qui a convulſione aut diſtentione nervorum tenetur, febre ſuperveniente liberatur. S. IV. Aph. 57. Si ebrius quiſpiam repente obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur. S. V. Aph. 5. A convulſione, ſi febris invaſerit, ſedatur eodem die, aut ſequenti, aut omnino tertia. de loc. in hom.* Sano ſi dolor capitis ſubito ortus fuerit, & dein ſomnus eundem oppreſſerit, intra ſeptimum diem percundum eſſe, ſi id malum non ſit a febre diſcuſſum, *Celſus* affirmat *L. II. C. 8.* *Quin eo*, ſunt verba celeberr. *Fr. Schraderi, de morbor. quor. ſalubritate §. XXIV. proceſſit hæc febrium ſalubritas, ut & Quartanæ febres, quæ ob pertinaciam ſuam Medicorum alias audiunt ſcandala, bonitate tamen quadam nonnunquam ſe commendent, ſic ut divinus Senex Quartanam convulſionibus ſupervenientem bonam pronunciet, Aph. 70. S. 5. & maniacis eandem ſalutarem accidere, recuperandæque ſanitatis ſpem afferre, non ſemel ab ingenuis naturæ ſcrutatoribus ſit obſervatum.*

Morbi quidam quomodo ſint ſalutares?

Scilicet ita naturam noſtram inſtituit divina providentia, ut, dum cauſæ morborum integritatem corporis adoriuntur, & infringere conantur, propagatis inimicis impreſſionibus ad commune ſenſorium per nervos, oriantur certi inconditi motus, ſive ideæ materiales in cerebro, quibus

bus neceſſario reſpondent convenientes, h. e. inviſæ, ingratæ, moleſtæ, ideæ immateriales, ſive repræſentationes in mente, moleſtæ perceptiones, afflictiones, & ex his ſolicitæ mentis agitationes : cum his dein rurſus in cerebro conſpirant motus vehementiores immoderati communis ſenſorii, quibus per nervos ad partes, pro ratione connexionis & mechaniſmi, propagatis, oriuntur intenſiones ac vehementiores conſtrictiones partium ſolidarum, & per has humorum vitalium preſſiones, transpreſſiones, motus, tritus, quibus quicquid ſanitati vim facere, ac partium corporis motionumque concentum & harmoniam, ſive valetudinem turbare poteſt, vel alteratur aut corrigitur, vel ſecernitur atque eiicitur, ſi robur naturæ & vires conſtent, neque nimium opprimatur, lædatur aut deſtruatur corpus in diſpoſitione, tenſione, ſive tono ac habitu.

Eo modo natura eſt morborum medicus, dum, conceſſis ſibi viribus, *ab eo, quod moleſtum eſt, liberat, & id, ex quo quis ægrotat, auferendo, ſanitatem reddit*, verbis *Hippocr. L. I. de vict. rat.* *Eo modo natura animalium ſervatrix, & morborum finitrix ac decretrix, quod conveniens eſt, ſervat, quod alienum eſt, ſeparat :* verbis *Galeni, de facult. natur.* *Natura morborum Medicus.*

Ea ratione natura *iuſta, artificioſa, ſapientiſſima, providentiſſima, ſolicita, quæ nihil fruſtra facit* ex ſententia *Hippocratis, nihil ſuperfacuum aut temere committit, ſponte, nec affecta, quæ opportuna ſunt facit*, ex mente *Galeni, ad optima viam demonſtrat, Hippocr. de Lege, & malum ſentiens mederi magnopere geſtit, conſiderans, ne temeritate magis quam conſilio & ut facilitate magis quam violentia medeatur*, verbis *Hippocr. L. de arte.* Eo modo, licet *inerudita & indocta, opus ſuum efficit, & eadem ipſa itinera ſibi ipſi amplificat*, ſecundum *Galen. comm. 5. in Libr. VI. de Morb. popul.* Eo modo *tria opera, quæ ſe conſequuntur, in morbis perficit, concoctionem, diſcretionem,*

nem, vacuationem, secundum *eundem*, *4. Aph. comm. 22. & 23. operatione per se ineffabili, recondita, longeque nostra cognitione profundiore. Id. L. an animal sit, quod in uter.* Nempe ista ratione sapientissimus Conditor eidem, non vero natura sibi ipsi, prospexit de remedio, quod inimicam sibi & peccantem materiam omni ope aggrediatur, subigat & excludat, ac removeat: nempe per ordinationem mechanismi & motuum causarumque sapientissime ac providentissime constitutum nexum. Sic non tantum contra morbos insurgit, & motibus suis causas morborum excludit natura, sed etiam morbis morbos curat ac præcavet. Causæ quidem morborum naturæ sunt adversæ, eiusque integritatem destruere conantur, ipsi vero morborum insultus aut morbosi motus nihil aliud sunt, quam conamina naturæ materiæ morbificæ exterminationem omni ope molientis, in ægri salutem, licet in conatu illo & certamine, viribus destituta, ubi præ imbecillitate finem operi imponere nequit, & Medici auxilium implorat, *Galen. de ven. sec. adversf. Erasistr.* aut malignitate ac gravitate causarum morbi oppressa, ubi ***plurimum a morbo superatur, ac ne certare quidem adversus morbum aggreditur: Id. L. 3. de cris. c. 9.*** haud raro succumbat natura. Atque eo sensu recte clar. ***Sydenham.*** ***Ipsa pestis***, inquit, ***quid obsecro aliud est, quam symptomatum complicatio, quibus utitur natura, ad inspiratas una cum aëre particulas*** μιασμώδεις, ***per emunctoria, apostematum specie, vel aliarum eruptionum opera, excutiendas? quid arthritis, nisi naturæ providentia ad depurandum senum sanguinem, atque expurgandum corporis profundum, ut cum Hippocrate loquamur. Potest & idem affirmari de plerisque aliis morbis perfecte formatis***, h. e. liberiori naturæ conatu, omnibus symptomatibus se exserentibus. ***de Morb. acut. L. I. C. I.***

Morbosi motus sunt conamina, naturæ ad causam exterminandam.

Verif-

Veriſſime ergo, ut in viam redeamus, dixit *Mœbius* metum & terrorem cor noſtrum omni virtute ſpoliare aut potius opprimere,* horroremque ac rigorem, febrili ſimilem, inducere, *Inſtit. L. II. P. II. cap. VII.* Imo affirmare non dubito: vehementem terrorem verum eſſe inſultum febrilem: & hinc facile reddi poteſt ratio rei notiſſimæ, ad quam, ut eruditi Medici propius animum advertant, exoptat acutiſſimus *Schelhammerus, de Febrib. S. II. §. 32.* quando ſcil. ad conſpectum rei, a qua animus noſter refugit & abhorret vehementer, concuſſo ſubito terrore corpore, per labia & in ſuperiori ad nares interſtitio, puſtulæ vel ſaniſſimis non multo poſt erumpunt, quod vano ſæpe etiam ex metu, quando ſpectrorum & lemurum terriculamentis imbecillium animi, etiam in inſomniis, percelluntur, accidit. Eadem nempe hic ratio eſt, quæ in febribus. Anima enim, vehementi terrore exagitata, non poteſt non commune ſenſorium, ſive principium nervorum, ex lege conſpirationis ſæpius memoratæ, vehementius commoveri, atque hinc, tum cor validius conſtringi & agitari, tum exterior habitus ac vaſa minora adſtringi, & ſic renixus ibidem augeri: unde ſanguis motu contrario impulſus & repulſus & arteriarum elatere fortius adſtricto conquaſſatus atteritur, donec tandem, redeunte animo, metuque ac terrore quodam modo ſedato, remittente fortiori reniſu externo, cordis impulſus ſuperans ſanguinem valide per totum

Terror non ſecus ac motus febrilis corpus concutit.

Cur a terrore puſtulæ in labiis oriantur?

* Exemplum, inter alios, recenſet *Malpighius, de Polyp. Cord. p. m. 316.* de viro alioquin robuſto, ex timore in pulſus inæqualitatem eiusque obſcuritatem incidente, &, recurrente reſpirandi difficultate inſigni, brevi tandem per ſputa quandoque rubri ſanguinis portionem, quandoque copioſa alba quædam fruſtula, veluti Polypos, excernente, & poſtremo turgentibus ſuperioribus ex coercita ſanguinis copia ſuffocato.

tum corporis habitum & iam laxiora vaſa minora transpellat; quo ipſo ſerum motu attritum & attenuatum per cutis excretoria copioſe ſecedit, (unde eiusmodi homines ſudore diffluunt, non ſecus ac inclinante paroxyſmo febrili id ipſum obſervamus,) atque ita, ſi quid forte inæquale minusque ſanguini contemperatum in corpore invenitur, occaſione laborantis animi, motu critico, non ſecus ac in febribus, expellitur.

Cur febres malignæ. Pari ratione id quoque evidentiſſime hinc deducitur, cur terror & vehemens animi turbatio febribus malignis viam aperiat, atque contagio aditum paret? vid. *Th. Bartholinus Hiſt. Anat. rarior. Cent. IX. Obſ. 76.* Hoc enim ſanguinem occaſione terroris exagitatum & febrili commotione iam concitatum, eo facilius turbare atque pervertere poteſt. Item, cur animi pathemata morbis ſupervenientia eosdem ſub alio ſchemate ſiſtant & in peſſimum ſtatum deducant? cur terror antecedens febrium ſæpe & ideam & ingenium mutet, malignamque iisdem affricet labem? nec non, cur die præſertim critico accedens criſin turbet, exanthemata retropellat atque ægros internecioni tradat? Quoniam, conſtrictis exterioribus, humores repelluntur, pori clauduntur, evacuationes ſiſtuntur, & motus humorum aliquanto liberior denuo pervertitur.

Hæc vero exteriorum partium a terrore & timore conſtrictio ac ſanguinis inde verſus interiora congeſtio ex eo quoque evidenter apparet, quando in quibusdam ſive vigilantibus ſive ſomnolentis ac ſemiſomnibus metus efficaciſſime corpus aut partes, quibus anima metuit, conſtringit, ita ut, phantaſiam ſuperante timore, actu credant ſibique imaginentur tangi ſe atque premi; cum, quod dudum optime obſervavit perſpicaciſſimus *Stahlius*. *de*

Ex terrore & timore imaginatio falſa.

Aeſtu

Aestu Mar. Microcosm tactus ille, quem putant, non nisi spasmus quidam ipsis accidat, a quo ipso quidem phantasmate, apoplecticos, paralyticos illos affectus & congestiones sanguinis ad interiora, cum subsequentibus sputis aut deiectionibus cruentis, quæ omnia vulgo compressioni spectrorum tribuunt (es habe sie ein Gespenst gedrückt/ sie hätten ein Gespenst so und so weit tragen müssen) rectissime deducit, seque ipsum in exemplum sistit, quod falsas illas de spectris homines tangentibus atque stragula ipsis subducentibus opiniones sufficienter redarguit, atque eo magis dignum est, quod hic legatur, quum vana hæc atque multis sæpe funesta, utpote in vitæ aliquando discrimen inducens, persuasio plurimorum animis altius infixa hæreat. *In itinere*, inquit, *in conclavi aliquo, ante aliquot annos solus dormiens (palpitationibus cordis quoque tum temporis ob neglectas V. S. obnoxius) a strepitu leni expergefactus, semisomnis, stragulorum, quibus obtegi solemus, motum percepisse mihi videor: statim, ut eram quietus, stragula non sentio: Horrore interim leni corpus percurrente & frigoris sensu succedente, abrepta mihi esse stragula penitus opinor. In hac formidine cum unum alterumve momentum immotus iacuissem, experrectior interim redditus, confirmo animum & provoluta forte, proprii corporis motu iactatorio, sub somno, stragula recipere utique constituo, eoque fine ad latus spondæ protensurus brachium, stragulis me meis rectissime coopertum deprehendo, non sine tacito in me ipsum risu: Qui sane si immotus iacere perseverassem, non modo concepto semel frigore illo horrido, sed & trepida & magis magisque invalescente anxia formidine, in graviores affectus delabi potuissem aut ad minimum aliis vim spectri & ablata mihi stragula devotus persuasissem.* Quo pertinet, quod, ipse quoque expertus, tradit cel. *Schottus, S. I. Physic. Curios. L. II. c. 6. Diebus*, inquit,

Spectra stragula subducentia imaginationis repræsentationes.

quit, *præteritis, cum multa de spectris legerem, audirem, meditarer, post noctis medium, dum semisopitus in lecto iaceo, videor audire felem ingredi cubiculum, lecto adrepere, tandemque ascendere. Opprimor mox tanto pondere, ut nec vocem exprimere, nec brachia movere, tametsi summo conatu anniterer, possem. Nisi perspectum habuissem morbum iurassem a spectro, felis specie, me oppressum.* Vnde & hic ad tranquillitatem mentis, ad exercitium sanitatis necessariam, tuendam, & animum inani metu levandum proderit illud, prudentiæ elementum: μέμνασο ἀπιςᾶν. Quamvis enim quoad omnia, quæ de spectris sæpe traduntur, auctoritati virorum nulli superstitioni neque mendacio faventium fidem temere ac prorsus derogare nolim, pleraque tamen delusæ mentis esse somnia atque phantasiæ læsioni debere perspectissimum habeo. Vt enim homines melancholici, quibus atra bilis, quam vocant, imaginationem corrupit, ita quoque alii, quibus pavor mentem eripuit ac phantasiam turbavit, spectra fingunt.*

Ex dictis ergo satis perspicuum esse videtur, quod, licet in prima affectuum classe, sanguis, aucto cordis motu, ab interioribus ad exteriora, in posteriori vero ab exterioribus ad interiora spasmodica partium constrictione pellatur, idem tamen de nervorum fluido sive spiritibus non possit

* Hinc constantiam animi in excludendo inani metu & formidine arcendisque terroribus ex rebus sæpissime minime timendis, inter partes felicis sapientiæ recenset *Horatius*, quando *L. II. Ep. II.* ita canit:

Non es avarus abi, quid? cætera iam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine & ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?

sit dici, cum nisi me omnia fallunt, ipsæ, quæ circumstant, conditiones clarissime ostendant: in priori classe, ubi anima circa bonum versatur, in lætitia, delectatione, sensu cum suavitate affluente, & quæ eo pertinent ac inde fluunt, fluidum nerveum, neglecto quasi exteriori habitu, secundum ea, quæ supra *pag. 112.* de tergemino consensu *corporis, animæ & externarum rerum dixi*, cui tamen tantum accedit, quantum ad naturalem tensionem sufficit, in cor inprimis impetum suum exerere. In posteriori, ubi imminente quasi malo mens terretur, in metu, mœrore, tristitia, cura, odio, desperatione & similibus, quæ huc referri possunt, vehementius ab interioribus ad exteriora propelli. Nervos enim & fibras in exterioribus fortius, & violenter adstringi ac constringi apertissimum est: quamobrem causam hanc adstrictionem producentem promtius ac fortius hic agere & influere necessum erit: tantum abest, ut, quæ communis est sententia, spiritus in gaudio ad exteriora ferantur, in terrore vero sive metu revocentur, figantur aut ratione elateris comprimantur. Sane omnia, quæ in hominibus terrore perculsis apparent phænomena, rigor, tremor, pulsus parvus & frequens & funesti, qui eundem sæpe sequuntur effectus, spasmi, palpitatio cordis, epilepsia, convulsiones, influxum spirituum vehementiorem, inordinatum magis quam retrocessionem, non tam arguunt, quam apertissime demonstrant.

In lætitia fluidum nerveum magis in cor versus interiora.

In mœrore tristitia ab interioribus ad exteriora confluit.

Nec difficile est perspicere, quomodo motus illi fluidorum se habeant in Ira, quæ est affectus ex superioribus mixtus, cupiditas nempe cum dolore coniuncta, ut habet *Aristoteles in Rhetoricis*, & quæ, præ reliquis, affectus totus concitatus in impetu doloris est. Nempe apparet ex observatis, hic, fluidum sanguineum atque nerveum

alterno ac inordinato influxu quasi librari, ita ut, modo cordis vehementiori impulsu superante atque hinc sanguine ad exteriorem habitum propulso, iratus rubore excandescat, modo, adstrictione exterioris habitus, a nisu fortiori influentis nervorum liquidi, invalescente, & sic sanguine ad interiora represso, expallescat. Hinc est & facile deduci potest ille irascentium asper & acris, ut *Seneca* mihi sua, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, color versus & nunc subito retrorsum sanguine fugato pallens, nunc in os omni calore ac spiritu verso subrubicundus & similis cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis & exsilientibus, nunc in uno obtutu defixis & hærentibus, flagrantibus & micantibus. Hinc labra trementia interdumque compressa & dirum quiddam exsibilantia, gemitus mugitusque & parum explanatis vocibus sermo præruptus, incerta verba subitis exclamationibus. Hinc dentium inter se arietatorum & aliquem esse cupientium non alius sonus, quam est apris tela sua attritu acuentibus. Hinc horrent ac subriguntur capilli. Hinc spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, & complosæ sæpius manus & pulsata humus pedibus & totum concitum corpus magnasque minas agens. Hinc totius corporis concussio, musculi subsultantes, hinc bilis, in illa partium inordinata constrictione, in intestina & ventriculum effusio. Hinc pulsus magni & vehementes, tanto sæpe impetu sanguinem urgentes, ut vasis disruptis vel præter naturam apertis, sanguis ex naribus, labiis, ore, utero aliisque partibus, nec non vulneribus, in copia effundatur. Exempla prostant apud Auctores, vid. inprimis *Pechlinus, L. III. Obs. XXV. Hildanus, Cent I. Obs. XVIII. Cent. I. Epist. I.*

Iræ Phænomena.

Illo-

Illorum quoque quæ pudorem comitantur & produnt φαινομένων ratio & causæ facile intelliguntur. Cum enim ille sit confusio animi, vel ex tacito in sinu gaudio cum aliquali indignatione, vel ex metu reprehensionis, vel ex opinione præsentis dedecoris, turpitudinis aut infamiæ; non longe petenda ratio est, cur influente præter modum, in illa confusione, nervorum fluido, nervisque inordinate strictis & exagitatis, corde incitato sanguine agitato, librato & huc vel illuc congesto, exteriorique habitu, pro causarum diversitate, modo remittente, modo constricto, in aliis pudorem rubor, in aliis, speciatim ubi ex metu est, pallor, imo, ubi vehementius urget affectus, aliquando, quod Diodoro Sapientiæ Professori accidisse ***Plinius** l. c.* auctor est, mors consequatur. *Pudoris effectus in fluidis.*

Atque adeo ubique, in omnibus animi concitatis agitationibus, quas affectus dicimus, ad exactissimam actionum animi & corporis conspirationem, consensionem, harmoniam res recidit, qua repræsentationibus, sive ideis immaterialibus atque inde ortis mentis se determinantis agitationibus ac desideriis exactissime respondent motus configurati ac concentus, sive ideæ materiales, in communi sensorio, & his simul, vi connexionis nervorum, ex lege mechanicæ conformationis, certi motus in organis & partibus corporis: conf. quæ supra p. 51. hac de re exposui. Prout enim obiecta sunt vel bona vel mala, & quidem vel magis vel minus talia, præterita, præsentia, futura, repræsentationes, ideæ immateriales atque cupidæ determinationes & agitationes mentis sunt diversæ: unde non possunt non oriri, vi dictæ conspirationis, diversi & convenientes illis motus configurati sive ideæ materiales in communi sensorio, quibus non possunt non respondere, vi connexionis per nervos mechanicæ, certi ac determinati *Ratio qua affectus animi agunt in corpus.*

 par-

partium corporis constrictiones ac motus, iique modo blandi, placidi, modo impetuosi, modo successivi, modo subitanei, modo æquabiles, modo confusi, tumultuarii.

Hinc eo minus mirum videri debet, si animi pathemata, quorum alias, sicut in concitatione animæ ad virtutem, stimulum & calcar addendo, ita quoque in negotio sanitatis, varios naturæ motus excitando & temperando, non contemnendæ partes sunt, (corpus enim, inquit *Sanctorius*, marcesceret & otio periret sine animi motu, *S. VII. Aphor. 40.*) adeo contrarios in corpore nostro effectus producant, & ut frequenter sunt productum, ita sæpe causa, (*) non raro remedium morborum (**) non nunquam etiam impedimentum curationis sint. *Adeo poten-*

Affectuum vis medica.

* Rationem scite non minus quam vere laudatissimus *Hecquetus* suppeditat. *l. c. P. II. p. 129. seqq. In nullo* inquit *apertius, quam in toto hoc animi ægritudinum negotio, originum & occasionum morborum rationes se produnt: illinc in rerum externarum molestiis, quæ ægritudinis animæ occasioni sunt, hinc in ægritudine animæ quæ nervorum oscillationibus & directionibus oscillationum occasioni est erroris; ex hoc autem disconveniente commensuum responsu, dissonans fit partium tonus, unde morborum origines. In nervis enim oscillandi rythmus, in anima perceptiones, in utrisque respectus mutantur; in quibus habes discolorum, quæ melancholicos deformant morbos, symptomatum rationes.*

** Eam ob causam *Hippocrates L. II. Epid. S. 4.* in crurum impotentia & genuum dolore ex causa frigida, diligentiam adhibere jubet, ut excandescentia inducatur, & caloris reparandi, & sanguinis in vasa subter cuticulam colligendi gratia. Et *Galenus L. VI. Epid. Part. 5. Comm. 9.* animalibus vitiis, morbis frigidis, & natura frigidiori cordi & capiti iram non leve præsidium adferre contendit. *Innatum enim calorem* (tonum potius & motum partium solidarum ac fluidarum & inde pendentem moderatum, naturalem, calorem) *in ipsis iam torpescentem excitat adaugetque.*

potentes ſunt motus animi, ut multi morbis ſæpe ex delectatione liberati, multi rurſus ex nimia conturbatione in morbos inciderint, inquit *Galen. ad Epigen. libell.* De vi medica qua pollent maximosque morborum inſultus compeſcunt, vincula expediunt, vid. inprimis *Chriſt. Ioh. Langii Diſſertat. de Animi commot. vi medica Oper. P. III. pag. 27.* Vim morboſam qua non ſolum magnorum morborum cauſæ ſunt, ſed & hominem in extremum vitæ periculum coniiciunt & ſubitaneæ ſæpe morti tradunt, proſecutus eſt idem vir celeberr. *Diſſert. de Mortuis ex affectibus, ibid. p. 34.* nec non Excellentiſſimus *Frid. Hoffmann. Diſſertatione de Animo ſanitatis & morb. fabro*, conſ. etiam *Pechlin. L. III. Obſervat. XVII. ſeqq.*

Vis inferendi morbos & ipſam mortem.

Vis medica in illis cumprimis caſibus elucet, ubi animus attentus & iucundarum rerum avidus ex colloquiis acceptis & lectione grata pulchre refectus & erectus morboſum ſimul corpus reficit & erigit, partes debilitatas priſtino robore perfundit, porulos & venulas aperit ac dilatat, humoresque ſolvit, ac ſanitatem labefactatam reducit. Actiones enim corporis abſolvuntur motibus partium, hi motus debentur intenſioni & commotionibus nervorum, nervi a cerebri medulla tanquam principio ſuo proficiſcuntur & diſtribuuntur, eorumque commotiones motum configurativum ſive ideam materialem huius principii ſive communis ſenſorii ſequuntur: iſte motus configurativus, ſive idea materialis ex lege conſpirationis reſpondet ideæ immateriali ſive repræſentationi & inde proficiſcenti determinationi animæ. Adeoque ubi in morboſa corporis conſtitutione, intenſionibus & commotionibus nervorum præter naturalibus & inordinatis, dantur certæ temperatæ aut ordinatæ, ad rem accommodatæ, convenientes ideæ immateriales & agitationes in mente, non poſſunt non

Ratio virium medicarum.

his reſpondere certæ ac convenientes ideæ materiales ſive commotiones in principio nervorum, atque has ſimul comitari convenientes, validiores intenſiones in toto genere nervoſo, & ita intenſiones & commotiones nervorum ab iisdemque pendentes actiones hic quidem in melius mutari ac reſtitui. Sic de *Peireskio*, *illuſtri Aquenſium Senatore*, doctiſſimi *Gaſſendi* elogiis inclyto, legimus apud laudatum modo vitæ ipſius ſcriptorem, *L. IV. p. m. 261.* quod, cum paralyſi & aphonia cum aurium tinnitu affectus, per hebdomadam decubuiſſet, acceptis gratiſſimis *Thuani* litteris, lætitia recreatum, & cum ſubinde neſcio quis hymnus in Lilii Roſæque amores ſcite caneretur, ita cantus ſuavitate & ſtrophes cuiusdam lepore captum fuiſſe, ut quemadmodum *Crœſi* filius, prorumpere volens in aliqua verba, ac in ea ſpeciatim: quam pulchrum eſt hoc! prorſus in illa eruperit, eoque momento libertas fuerit membris omnibus reſtituta. *Laurentio de Medicis*, *Florentiæ Principi*, gravi morbo laboranti, Winsbergenſis a *Conrado III. Imperatore* factæ obſidionis feſtivum acroama vires ac ſanitatem reſtituiſſe Auctores graviſſimi tradiderunt. Et quemadmodum *Ferdinandum*, Hiſpaniarum & Siciliæ Regem, *Livii* lectione convaluiſſe ſcribunt Hiſtorici, ita *Alphonſum*, Arragoniæ Regem ſapientiæ & eruditionis laude florentiſſimum, ægrotantem ſimili extraordinario remedio ad priorem valetudinis ſtatum feliciſſime reductum fuiſſe *Antonius Panormitanus* auctor eſt, * Exempla plura ſimilia vid. apud *Pechlin. L. III. Obſerv. XXVII.*

Exempla ex lætitia reconvaleſcentium.

Nec

* Hunc de ſe, & modo laudato Rege, hæc commentantem hic adduxiſſe forte non ingratum fuerit. *Aegrotabat Rex Capuæ, & multis multa pro ſuo quisque ingenio ac ſtudio oblectamenta ac munera languenti deferentibus, ego quoque, ſed accerſitus, e Gaie-*

ta

Nec minus vis illa manifesta est in curatione morborum per Musicam, quando scilicet numeri Musici & Poetici, quibus & excitamur, & incendimur & lenimur & languescimus, & ad hilaritatem & ad lachrymas sæpe deducimur, blandam in animo commotionem & in corporis solidis pariter ac fluidis, nervis cumprimis eorumque fluido, varias oscillationes & harmonicam quasi agitationem producunt atque ita grata, quæ sub aurium mensuram cadit, pulchritudine, ordine, venustate mentem deliniunt, corpus erigunt vimque naturæ medicatricem, quæ in tonico partium robore potissimum consistit, intendunt. Scilicet idea materialis sive concentus aut motus configurativus in communi sensorio, quem suave melos, modulata cantica ac melica poëmata inducunt, præsentem inordinatam & præternaturalem ideam concentum & motum a morbo eiusque causis obortum obliterat quasi & alterat, ut nervorum disparem reddentium concentum fiat concordia: quo ipso, dum in anima idea immaterialis & repræsentatio grata respondet, hæc modulamine exhilarata ad naturalem quoque harmoniam revocatur, vigorem resumit, intentione vivida ideam gratam *Musica morborum remedium.*

ta adproperavi, mea quoque mecum fomenta deferens, sed longe alia, libellos nimirum meos, quos putabam illi quam maxime placituros. In illis Quintum quoque, bonis avibus, Curtium; quem, ut vidi commodum, exhibui, volentique prælegi. Ille res gestas Alexandri a disertissimo viro perscriptas ea hilaritate, ea aviditate, ea denique felicitate cœpit audire, ut, quod Medici obstupescerent, eodem ipso die, quo lectionem eramus exorsi, adversa omni valetudine levatus, ac pene confirmatus, evaserit. Itaque, posthabitis mediis aliis, lectiones geminari præcepit, libroque absoluto, a periculo morboque Rex omnino liber surrexit. Frequenti deinde ioco Medicos excipiens, Hippocratem se & Galenum dimittere, sed Curtium, suum sospitatorem, & amare & laudare dixit.

gratam prosequitur, & ita, per conspirationem, ideam materialem ac motum configuratum in cerebro continuat ac sustinet; unde principium nervorum intenditur, excitatur omnesque motus in corpore naturali ordine insurgunt morbumque cum causis superant & propellunt. Exemplo esse possent vel soli Tarantati, quibus harmonia Musica corporis & animæ harmoniam a veneno turbatam restituere solet, vid. inprimis clar. *Bagliv. de anatome, morsu & effectibus Tarantulæ Dissert.* nec non *Ludov. Valetta, Monach. cœlestin. de Phalangio Apulo commentationem A. 1706. Neapol. edit.* *Kircheri* item *Phonurg. L. II. S. II. Cap. IV. Aldrovandi de Insectis, L. V. p. 621.* De *Asclepiade Medico* litteris proditum est, quod phreneticos, mente imminuta & valetudine animi affectos, nulla re magis, quam symphonia & vocum concentu ac modulis resipiscere ac sanitati restitui posse existimaverit. Fertur etiam *Ismenias, Thebanus*, plures Bœotiorum Ischiadicos & coxendicum dolore laborantes intentione tibiæ bonæ valetudini restituisse. Notus fuit laudatissimo *Pechlino* Professor Podagricus, cui, in perpetuo & uno paroxysmo, mitiora intervalla non medicinis aut linimentis, sed harmonia Musica, quam perdide amabat, conciliata: vid. *Observ. XXIX. L. III. de Cantus vi in Animum & corpus*; ubi plura huc pertinentia elegantissime pro more tradidit. Regem Saul, tristi, violento affectu melancholico abreptum & insanientem, a Davide citharœdo tempestivo soni blandimento reductum sacræ litteræ testantur. Tanta vis est animi excitati, concitati, atque affectuum stimulis agitati.

Exempla sanitati restitutorum per Musicam.

Nempe in omni affectu, pro illa idearum immaterialium, in mente & materialium sive motuum determinatorum configuratorum, in cerebro, conspiratione, non

potest

poteſt non fieri, quin, datis animæ agitationibus determinatis ac ſolicitis intentionibus, ipſum commune ſenſorium convenienter conſonet atque, vi connexionis nervorum, motus convenientes in toto corpore producat: adeoque, quamdiu ratio dominatur atque animæ propenſiones illas & agitationes freno moderatur, moderatis ipſius agitationibus principium nervorum, modo determinato, intenditur, fluidum quaſi impulſu recepto in nervos influit, compellitur, nervi ſtringuntur & ad oſcillationes vividiores habiles redduntur ſimulque incitantur, ut, pro re nata, vel cor vel exterior habitus validius conſtringatur, quo ipſo mutatum, vel ob conſtrictionem partium ſpaſmodicam, vel ob arteriarum a ſanguine nimis rarefacto immodicam diſtenſionem & preſſionem, æquilibrium reſtituitur; unde priſtinam tenſionem debitumque cum tono robur nactæ partes, inſtaurato motu tonico vitali, materiam inæqualem morboſam excutiunt & plurium ſæpe infirmitatum cauſas diſpellunt. Quando vero animus ſubito & ex improviſo turbatur & extra juſtæ proportionis limites vagantur affectus, commune ſenſorium ſive nervorum principium cum impetu & vehementia commovetur, omniaque organa, aliaque præ aliis, magis & minus, vi connexionis nervoſi contextus, pro ratione motus configurati atque inde oriundæ directionis ad partes, vehementius ac validius, concitantur & conſtringuntur; unde quidem aliquando accidit, ut ea ipſa validiori commotione graviſſimorum morborum vincula laxentur, expediantur atque cauſæ ſuperentur, quemadmodum de *Crœſi* filio, natura muto, apud *Herodotum* legimus, cui, conſpecto occiſore in Regem Parentem irruente, metus & ira linguam vinculis expedivit, atque uſum loquelæ impertivit: nec non de Samio athleta, apud *A. Gellium, L. V. c. IX.* qui *quum antea*

Animæ determinatæ agitationes, principium nervorum determinato modo, & per hoc certas corporis partes ſtringunt.

Terrore linguæ vincula laxata.

S *tea*

tea non loquens fuiſſet, ob ſimilem dicitur cauſam loqui cœpiſſe: nam quum, in ſacro certamine, ſortitio inter ipſos & adverſarios non bona fide fieret; & ſortem nominis falſam ſubiici animadvertiſſet; repente in eum, qui id faciebat, ſeſe videre quid faceret magnum inclamavit, atque is, oris vinculo ſolutus, per omne inde vitæ tempus, non turbide neque adhæſe locutus eſt. Simile fere exemplum habet *Borrichius Act. Hafn. Vol. I. obſ. 71.* Ita etiam de febricitantibus quibusdam ex improviſo in flumen præcipitatis conſtat, quod hac ratione ſolo terrore fuerint morbo exſoluti; aut de podagricis in periculo conſtitutis, qui metu impellente in pedes aliquando ſe coniecerunt atque ita periculum ac morbum ſuperarunt; ſicuti plura ſimilia, interque ea multum faceta, exempla congeſſit, præter doctiſſimum *Pechlinum, Obſerv. L. III.* laudatus modo *Langius, de Anim. commot. vi med.* Huc quoque inprimis pertinet exemplum militis, Anno 1720. Berolini, cum ingens copia pulveris pyrii, ex improviſo ibidem accenſa, toti urbi ſubitaneum terrorem & conſternationem inferret, metu ac pavore incuſſo, a morbo gráviſſimo liberati; quod verbis celeberrimi *Scheuchzeri* commemorant *clariſſimi Collection. Wratislavienſium Auctores, Tentam. XXV.* Anno 1723. *trimeſtr. æſtiv. p. 100. Accidit, ut Anno 1720. graviſſimo morbo decumberet, Berolini, Rev. Dn. Henrici Tſchudii, Paſtoris Svandenſis, in Territorio Glaronenſi vigilantiſſimi filius, ſtipendia militaria merens. De vitæ iactura adeo ſecuri erant ſocii milites, ut iam veſtimenta & ſupellectilem ſibi fecerint propria, ægro nil de ſe, nec de ſuis reculis conſcio. Decumbebat 40. circiter paſſibus a loco illo, quo d. 12. Auguſti ingens illa pulveris pyrii copia accenſa omne Berolinum luctu implevit. Fragore illo ingenti expergefactus noſter, veluti e ſomno profundo, redit adſe, ſurgit ex lecto & intra paucos dies priſtinæ reſtituitur*

Terroris vis medica.

Exemplum Berolinenſe.

tuitur

tuitur sanitati. Dubio procul a fragore hoc insolito sicuti contremuit amplissima urbs, ita & in tremulos eosque criticos motus actum torpidum iam & a vi morbi tantum non suppressum fibrarum nervosarum systema. Plerumque tamen, mutato subito æquilibrio turbatoque magis vel minus primo corporis mobili, omnes, qui eidem debentur, motus, totusque adeo homo turbatur, actiones infirmantur, pervertuntur, supprimuntur, extinguntur. Idque, ut in omnibus affectibus iusto vehementioribus accidere potest, ita in terrore inprimis observatur. Et quid mirum, si, quando incusso vehementi & subitaneo terrore principium nervorum vehementissime exagitatum reticulum nervosum per omnem corporis habitum expansum, atque una ipsius cordis fibras vehementissime contrahit, fortissima partium exteriorum constrictione validaque simul cordis contractione fluidum sanguineum simul & subito repellitur & expellitur, motus ille contrarius se ipsum extinguat? Quid mirum, si terror derepente incussus non solum infantibus, sed etiam adultis epilepsiam & convulsiones sæpissime inferat? Quid mirum, si constrictis repentino terrore partibus sanguinisque motu represso, hæmorrhagiæ, vel menses sistantur aut sanguinis e vena secta effluxus prohibeatur? si affusa nuchæ, ex improviso, aqua frigida, bombardæ explosio, clamor stentoreus similiaque terriculamenta contra hæmorrhagias optata remedia sint? si in verbis, ubi phantasia simul movetur, ad morbos depellendos tanta vis sæpe lateat? quo pertinet illud apud celeb. *Morhofium, de Scyph. Vitr. per cert. hum. voc. son. fract. p. m. 232.* ubi, cum circumstantes frustra laborarent in sistendo ægroti sanguine & pene extrema instarent, Agyrta quidam accedens inopinato illos allocutus: *Quid miserum vexatis remediis vestris, illi iam moriendum est:* incusso hac voce ægro terrore sanguinis fluxum

Terroris effectus nocivi.

Hæmorrhagia terrore curata.

xum ſtatim cohibuit eundemque mortis faucibus eripuit. Quid mirum, ſi conſtrictis in terrore, a ſubitaneo & impetuoſo liquidi nervei influxu, una cum aliis, veſicæ urinariæ & inteſtini recti motricibus fibris, contenta, urina & fæces, præter voluntatem exprimantur? Vnde illud etiam deducitur, cur fœminæ illi, quam *Act. Philoſ. Anglic.* ab *Oldenburgio* edita *pag. 550.* ſiſtunt, cum tonitru audiretur, ob terrorem cumprimis, ſemper laxata alvus crebræque fuerint vomitiones, (quo forte bilis e veſicula ſimul ſpaſmodica conſtrictione expreſſa multum contribuit) quales nec a fortiſſimis effici medicamentis poſſunt. Item, cur in illis, de quibus Excell. *Pechlinus, L. III. Obſ. XVIII.* non ſecus ac in iſto apud *Iuvenal. Satyr. XIV. v. 198.* cui

Ab audito tonitru laxata alvus.

trepido ſolvebant cornua ventrem
Cum lituis audita,

metus in alvum ſemper deſpumaverit? Cur Duci Ferrariæ apud *Braſſavol. Tr. de Purgant. c. 9.* cum, iuſſu Michaelis Savanaroli, nudis pedibus ſupra pavimentum alabaſtrinum aqua frigida prius conſperſum incederet, triduana alvi ſtypticitas, nondum quinquaginta paſſus promoto, felici effectu fuerit ſoluta? Cur ubi, corpore calente, manus frigidæ immittimus, natura ad urinam pellat? territo enim frigore ſenſu, quemadmodum totius corporis, ita, pro ratione circumſtantiarum, in ſpecie inteſtinorum & veſicæ urinariæ fibræ conſtringuntur & ita contenta expelluntur. Hinc eſt, quod, ſi dormientis cuiusdam manus in aquam frigidam immergatur, inſcius ſtragula commingat. Quo pertinet illud etiam a laudatiſſimo *Pechlino* notatum, quando *Thomas Campanella* de Venuſiæ Principe refert, quod cum alvo eſſet lenta & obſtinata; verberibus, a ſervo ad id conducto, inflictis, & ſic metu arte conflato ad eam ducendam fuerit cogendus, pari fere

Verberibus alvus laxata.

ratione ac illi Veneris nepotes apud *I. H. Meibomium*, *de flagror. usu in re venerea*, crudelibus flagris ad damnosam voluptatem ducebantur. Quid mirum, si alapa aut colaphus, incusso terrore, accensa ira, motaque phantasia, vomitum, fatuitatem, epilepsiam, apoplexiam, abortum, imo ipsam aliquando mortem induxerit? quemadmodum plura id genus exempla ex *Hildano*, *Deckero*, *Vallerio la*, *Benivenio*, *Amat. Lusitano*, *Foresto*, *Horat. Augenio* & *Carpzovio* collegit celeberrimus *Francus a Franckenau*, *de Alap. & Colaph.* Quid mirum denique, si virgo, apud Maiolum, *Dier. canicul. T. I. coll. 3.* ex voto sana ac bene habens, ab osculo sibi invitæ & abhorrescenti dato ac ingesto, ex aversatione, indignatione & pudore, hora vix elapsa, interierit; aut si quis concepta nausea vel horrore, quod non unis exemplis cognitum habemus, brevi moriatur? *Alapa & colaphi miri effectus.*

Possem simili ratione aliorum animi pathematum effectus persequi, nisi brevitati studerem atque ex dictis cuivis de reliquis iudicare integrum esset.

Cæterum in illis sublatum mentis & corporis æquilibrium satis quoque evidens est, qui phantasiæ suæ potentes, æstu cogitationum, eandem, quo volunt, abripiunt & asperiores etiam dolores frequenti atque intenta meditatione vincunt. Nulli non notum est, quid hac in parte iactaverint *Stoici*, ἀπάθειαν eousque professi, ut in eo virtutis summam collocarent, si, obfirmato animi impetu, velut corpore erepti, dolores vel non perciperent, vel perceptos occultarent & in accerimo cruciatu, illud *Arriæ, Cæcinæ Pæti* uxoris, *Pæte non dolet*, suum facere, aut cum *Anaxarcho* in mortarium a *Nicocreonte* coniecto exclamare possent: *tunde, tunde, Anaxarchi vasculum tundis, Anaxarchum non tundis. Diog. Laërt. in Anaxarch.* De *Torquato Tasso* atque *Cardano* refert *Pechlinus l. c. Obs. XI.* *Ἀπάθεια stoicorum, aliorumque.*

illius tantam ſæpe fuiſſe ecſtaſin, ut corporis fuerit oblitus: hunc vero hominem φαντασιαστικὸν a podagricis ſæpe doloribus forti imaginatione contentoque animi opere ſe liberaſſe. Sic excellentioribus Poëtis aliquando accidit, ut diviniori poëtandi impulſu, (quem *thyrſum Poëticum*, ὁρμὴν ἐκστατικὴν, *raptum*, *enthuſiaſmum*, aut etiam *furorem*, horridiori quidem voce ſed benefica, ut ait *Borrichius*, explicatione mitiganda, appellavere, quique non aliud eſt, quam acris quædam & firma de argumento quod ſibi elegit Poëta meditatio, ſtabilior de formando carmine egregio cogitatio, fixa meditatio rei animo, in quo ſemina poëtica accedente cultura, lectione & experrecto iudicio læte & egregie efflorescunt, in imitationem metricam propoſitæ, ut interea omnium pene aliarum rerum inducat oblivionem,) incitati ita ſe abſtrahant a ſenſibus ut & ſui obliviſcantur & nil extra ſe perſentiſcant. * Ita pictorum

Furor Poëticus.

---

* Exemplum præbet Eumolpus Petronianus, qui in naufragio, in navi iam fracta ſedens membranæque ingenti verſus ingerens, ita ſe totum devoverat argumento ſuo elimando, ut nec antennarum gemitus, nec planctus fœminarum nec ululatum Aeoli perſentiſceret, dumque *alii, mirati quod illi vacaret in vicinia mortis poëma facere, extraherent clamantem, excanduit, & ſinite me* inquit, *ſententiam explere, laborat carmen in fine.* Sic *Ovidius Triſt. L. IV. Eleg. I.* ipſe ſibi tribuit hunc impetum aut furorem:

Forſitan hoc ſtudium poſſit furor eſſe videri:
Sed quiddam furor hic utilitatis habet.
Semper in obtutu mentem vetat eſſe malorum;
Præſentis caſus immemoremque facit.
Vtque ſuum Bacchis non ſentit ſaucia vulnus,
Dum ſtupet Edonis exululata iugis;
Sic ubi mota calent viridi mea pectora thyrſo,
Altior humano ſpiritus ille malo eſt.

rum clarissimi frequentiores tales ecstases experiuntur, dum enim ut omnia ad vivum adumbrent, in unam imaginem pertinacius mentem defigunt, alias omnes imagines in mente obliterant, confundunt, excludunt. Ita quoque aliarum artium subtiliorum Magistri, dum intentissima mente in re quadam operosius ac profundius perscrutanda occupantur, ita aliquando egrediuntur e potestate sensuum ut interrogati, quid rerum agant, nesciant quid loquantur aut ubi sint: Exempla adduxit Exc. ***Borrichius de Furore Poëtico.*** Talem quoque ecstasin facit amor; dum enim amatores in ea quæ amant penitus transfert, suo statu eos dimovet suique iuris esse non sinit: nullusque est affectus gravior, ut recte observat laudatus ***Borrichius***, qui non aliquando sensuum ministeria hebetet & mentem de statu suo, saltem ad exigui temporis intervallum, deturbet: & sicut anima nonnunquam ita se totam transfundit in aures, ut oculi nil videant, ita quoque interni sensus operationibus impensius occupata sensuum externorum impressionibus percipiendis aliquando non vacat; quamvis, ut recte monet laudatus ***Pechlinus*** χαριέστατος, non quivis temere indulgere sibi possit hanc libertatem, cum ipsa illa imaginandi vis aliquibus naturæ prærogativa, paucis admodum cultu aut arte constare videatur. Sicut nec experrectiorem illum Poëtarum impetum sive enthusiasmum in omnes cadere animas, sed in eas præcipue, qui eruditius abstrahere se a sensibus didicissent, observavit laudatus ***Borrichius***

Artium subtiliorum Magistri abstrahunt se a sensibus.

Ratio

(Ille nec exsilium, Scythici nec littora ponti,
Ille nec iratos sentit habere Deos.)
Vtque soporiferæ biberem si pocula Lethes,
Temporis adversi sic mihi sensus hebet.

Cur intenſior phantaſia ſenſus exter-nos hebetet?

Ratio inductæ huius per phantaſiam intenſiorem ſenſuum externorum hebetudinis, ex iis quæ ſupra p. 50. iam commonui, haud difficulter perſpicitur. Quum enim intentioni animæ fortiori & continuæ in repræſentatione rei vel imaginis, ſive ideæ immateriali fixiori in anima, reſpondeat intenſio fortis & continua, concentusque determinatus, conveniens, ſive idea materialis fixior in communi ſenſorio; facile apparet, commune ſenſorium hac intenſione fortiori impreſſiones a ſenſibus externis non admittere illasque ſuperare, atque hunc fortiorem concentum alium excludere: neque animam in hanc ideam immaterialem defixam & in ea exactius repræſentanda operoſius & pertinacius occupatam, & cum certa fixa idea materiali, ſive concentu & harmonia organi conſpirantem, ideas immateriales alias, claras, extantiores, cum aliis per ſenſus ad commune ſenſorium delatis illudque ſollicitantibus ideis materialibus poſſe coniungere.

Cur literati alvum plerumque obſtructam habeant.

Interea non inepte eruditi Medici ab illa per nimiam animi occupationem inducta ἀναισθησίᾳ rationem deducunt, cur literati alvum plerumque obſtructam habeant & ad malum hypochondriacum procliviores ſint? ſtimulos enim ad excretionem vel non percipiunt vel ob leviorem impreſſionem negligunt, ut exſiccatis excrementis adſtrictior alvus inducatur, flatus ſupprimantur; idque eo magis, cum reliquæ etiam actiones, nervis, per illam mentis occupationem continuam, a ſueto & naturali tono deſciſcentibus, quodammodo infirmentur. Quid quod ſeria animi contentio & ad res inſuetas applicatio ſingultum, vomitum, dolores, ſæpe ſtiterit? Vnde perſpicimus etiam, quantum animus curis detentus medicamentorum virtutes ſæpe poſſit alterare aut enervare: quandoquidem nervos præter naturæ modum intendit, inſen-

fileſque

ſileſque & ad debitos motus a medicamentis excitandos inhabiles reddit, excretiones neceſſarias cohibet, eoque ipſo ſpiſſitudinem, & minorem ad motus requiſitos habilitatem humoribus inducit.

Ex dictis illud etiam intelligitur, quomodo viri ſummi ingenii, qui ſæpius a ſe exeunt & diutius in ecſtaſi ſua perſeverant, unique argumento penſando poliendoque ita ſe addicunt, ut ſui interea neceſſariorumque corporis memoriam deponant, eo ipſo operi quidem perficiendo aliquid præſtantiæ ſublimioris, ſed corpori maiorem labem adſpergant multumque ſani & iuſti temperamenti amittant: exemplo inſignium Mathematicorum & illuſtrium Poëtarum, qui dum unum ſemper obiectum intenta mente, vehementi impetu & exercitatione continua, pervigilio frequenti, & perſeverantia maxima contemplati fuerunt, melancholici tandem facti ita egreſſi ſunt e poteſtate mentis ut non licuerit iterum ingredi, atque illud *Stagiritæ* ipſo facto comprobarunt: dum intellectus fit omnia, homo intelligens ſæpe fit nihil. Nempe, in illa iam melancholica diſpoſitione cerebri, diuturna ac fervidiore ad ſtudia applicatione contracta, perpetua, una ac vehementi mentis intentione ac intentiſſima agitatione principium nervorum fideſque muſici illius opificii, in illa idearum immaterialium & materialium conſpiratione, iuſto nimis intendunt & exercent, ut tandem nimia hac & diuturna intenſione non tantum tonus & tenſio naturalis harum fidium nervoſarum infringatur, harmonia pervertatur, ſed & iſtæ de proniore ad ordinatos concentus habilitate plurimum amittant. Equidem melancholici, quorum fibræ nervoſæ ſunt firmiores, adſtrictæ, motus & vibrationes tardiores, ſed ſimul validiores, ſi mediocritatem penſandi cuſtodiant, conſtantiam in dictis factiſque conſequuntur,

Summa ingenia corpori aliquando labem adſpergunt.

Quomodo hoc fiat?

Melancholici ingenio & iudicio pollent.

tur, & dum non volutantur per varia, nec arripiunt desultoria levitate argumentum & mox deserunt, sed librant rem ponderibus suis & trutinantur, ingenium in numerato, iudicium in tuto collocant, ut loquitur doctissimus *Borrichius*. Verum ubi vel a sangininis viscidioris lympha sua partibusque mobilioribus privati expansique ebullitione & ad caput congestione, vel animi nimia & impetuosa exagitatione, aliisque de causis, ista robusta & constans fibrarum dispositio a iusto tono & harmonia ita detruditur, ut fibræ strictiores & minus mobiles ad tonum & officium revocari nequeant, imaginatio & memoria trahuntur in confusionem; dum enim, pro hac cerebri conditione, non possunt non oboriri perversæ ideæ materiales, fieri etiam aliter nequit, quin respondentes his ideæ immateriales, perversæ repræsentationes in mente oboriantur: unde tot & tam variæ mentis alterationes in melancholicis, ut nullus unquam Morpheus verbis laudati *Borrichii* in somnis tantas fabricetur ineptias, quantas illi vivi & cetera valentes. Reperiuntur etiam haud raro, quos sanissimos iudices, nisi chorda illa tangatur qua oberrare solent, nisi idea quæ læsit cerebrum illudque, sub hoc determinato concentu, ad atoniam redegit, revocetur. Ita visi qui ex amore, ex repudio, ex ambitione fatui, nulla indicia produnt emotæ mentis, nisi ubi de amoribus, de dignitatibus sermo incidit. Ita enim idea immaterialis ideam materialem provocat, & cum fibræ cerebri sub hoc determinato concentu & harmonia vehementi impressione iam debilitatæ sint, non potest non, revocata hac idea, cerebrum in pristinam atoniam detrudi.

Melancholici janis similes, n. si idea quæ læsit revocetur.

Et ex hac atonia & perversa intensione harmonica oriuntur sæpe idiosyncrasiæ melancholicæ, ubi conspirantibus ideis materialibus & immaterialibus, eiusmodi homi-

Idiosyncrasia melancholica ad αὐτοχειρίαν ducentus.

homines id bonum & veriſſimum iudicant, quod ſani falſiſſimum exiſtimaſſent, atque, obſcurata intellectus luce poteſtateque mentis ex cauſa morboſa infracta, voluntate depravata, ſummo ſæpe timoris & triſtitiæ gradu abrepti, ſolatium in morte quærentes urgentur morbi ſtimulis ad inferendum ſibi ipſis varium mortis genus, aut, iudicio, tum corporis tum mentis morboſa diſpoſitione & ſtatu, depravato mortem velut melius quid & omnem vitæ utilitatem excedens bonum exiſtimantes ad αὐτοχειρίαν perducuntur mortemque ſibi conſciſcunt voluptate quadam perfuſi, ex qua mortem velut bonum aliquod amarunt, verbis *Ill. Wedelii.* Exemplis plena ſunt monumenta veteris & recentioris Hiſtoriæ, nec deſunt tum apud nos, tum alibi recentiſſima. Inſigne imprimis & lugubre exemplum præbuerunt virgines Mileſiæ apud *Plutarchum de virt. mulier. & A. Gellium, N. A. L. XV. c. 10.* quas aliquando, neſcio qua epidemica quaſi lue, atrox & abſurdus corripuit affectus, ut omnes repente, ſine ulla evidenti cauſa, mortis cupiditas & ad ſuſpendium furioſus impetus egerit, & multæ, vitæ pertæſæ mortisque avidæ, clanculum laqueo gulam fregerint; donec fruſtra impenſis verbis & lachrymis parentum amicorumque, fruſtra cuſtoditis iisdem, quin calliditate vincerent obſervatores, fruſtranea putata omni humana ope, vinceret remedium morale, ſapientis ſcil. conſilium: ut, quæ ſe ſuſpenderent, nudæ, cum eodem laqueo, qui eſſent prævinctæ, efferrentur per forum. Illa ſanctio inhibuit nefarium conatum & abolevit plane, ut nulla hinc cupiditatem moriendi tanta ignominia luere vellet. vid. laudat. *Ill. Wedel. Exerc. Med. Philol. C. I. Dec. VI. Exerc. VII.* Scilicet hæc idea ignominiæ formidoloſa alteram tum immaterialem tum materialem extinxit & obliteravit plane. Quomodo inter *Molerii*, celebris

Virginum Mileſiarum ſuſpendium.

Molerii socios inter pocula, cupido moriendi incessit.

Comici Galli, socios bene potos, sermones de miseria vitæ humanæ cupiditatem maximam moriendi accenderint, ut rerum humanarum pertæsi uno ore omnes decreverint, se vitam proximo, quod ante ædes erat, flumine finituros atque adeo suaviter, inter mutuos amplexus, morituros : & qua ratione ipse *Molerius* superveniens, pulchro commento, laudato nobili proposito, sed subministrata gloriosioris mortis idea & accensa cupiditate, priorem ideam immutaverit atque e vestigio moriendi cupiditatem ad opportunius saltem tempus direxerit, eoque ipso in viam eosdem reduxerit certæque morti eripuerit, vid. in *Vita Molerii, Gallico idiomate conscripta & Amstel. A. 1705. edita.*

Anima ad corporis partes nimis conversa.

Quemadmodum vero hic, aversa quasi, a corpore vel sensibus externis, anima, ἰσοσαθμία destruitur, ita non minus id evenit, quando ad illud nimis est conversa & forti imaginatione nervorum determinatos motus ad certas partes dirigendo, varios eosque mirandos sæpe in corpore effectus producit. Miraculo proxima sunt, quæ de viribus imaginationis tradunt Auctores, *Erastus*, *Licetus* *Fienus*, *Ebelius*, aliique, quorum tamen, in quantum vera narrantur, non adeo difficilis explicatu ratio est, modo ad illud mentis in corporis motus, quod nutu exercet, imperium & ad expeditissimam idearum immaterialium & materialium, ipsarumque corporis partium, conspirationem, supra p. 51. seqq. expositam, animum advertamus, Data enim aut exorta repræsentatione in mente, e vestigio exoritur certus ac determinatus concentus, motus configuratus in communi sensorio, & simul, pro ratione distributionis nervorum, connexionis & mechanismi, certus motus, exagitatio, adstrictio, distractio in certis partibus ad quas directa est animæ cogitatio aut solicitudo. Sicut enim ab actione certi objecti aut causæ ex-

Ratio virium imaginationis.

ternæ

ternæ in organum & partes, oritur certus ac determinatus motus ac mutatio in organo & parte, & propagata per nervos ad commune ſenſorium impreſſione & motu, certus ac determinatus concentus, harmonia, & motus configuratus in ipſo communi ſenſorio ſive principio nervorum, atque proinde huic conveniens certa repræſentatio in anima: ita data repræſentatione certa in anima, conſpirat certus concentus & motus configuratus in communi ſenſorio, &, per connexionem nervorum, oritur ſimul talis motus aut ad minimum molimen & conatus ad talem motum, intenſio, mutatio in partibus, qualis ab obiectis aut aliis cauſis externis, internis, in partibus illis productus illum ipſum concentum in principio nervorum & repræſentationem in anima producere potuiſſet, idque, pro efficacia repræſentationis & vehementia inde oriundi affectus nec non teneritate ac ſenſilitate generis nervoſi diverſa, magis & minus.

Atque eo modo anima nutu ſuo nervorum motus moderatur, nervoſosque funiculos ad partes diſtributos promtiſſime obſequentes habet. Sic ubi fortiori imaginandi vi, motu validiori, partes, de quibus ſolicita eſt, conſtringit, concutit, diſturbat, inſignes effectus producere valet. Docet hoc atque egregie illuſtrat ſudor voluntarius *Oligeri Paulli*; doctiſſimi quondam *Simonis Paulli* filii, cuius tanta fuit, a primis annis derivata, voluntatis alacritas & virtus, ut, pro arbitrio, partium ſolidarum, & hinc etiam fluidarum motus moderari, fluida ad manus dirigere, & has modo ſudore ſtillantes, modo ſiccas, ceſſante voluntatis imperio, proferre potuerit; huiusque facilitatis experimentum & coram Auguſtiſſimo Danorum Rege, Friderico III. in prima iuventute & poſtea ultra triginta annos natus coram magno *Bartholino*, teſte perſpicaciſſimo, edidit, vid. *Act. Hafnienſ. Vol. IV. Obſ. 81.*

Anima nutus nervos obſequentes habet.

Ab imaginatione sæpe purgatio & vomitus.

Neque hinc, si dicta probe expenderimus, adeo arduum fuerit causam invenire, cur quis, viso, aut odore, gustu, auditu saltem percepto purgante vel vomitorio, vid. Excellentiss. *Wepferi Cicutæ Aquat. Histor. & Nox. pag. 105. Harderi Apiar. Schol. Observ. XL. Franci a Franckenavv Satyr. Med. Continuat. II. Schneider. de Osse cribriform. pag. 209.* nec non *Salmuth. Panarol. Smetii, Schenckii Observat.* aut si quis ad imaginariam nauseam proclivis rem fœdam sibique inprimis adversam conspicit, aut de ea per aliorum figmentum audit, vel illius quondam visæ recordatur: si v. gr. pilum in cibis invenit, vel inventum ab aliis videt, aut commemorando saltem accipit, vomitum aut alvi fluxum patiatur. Item, cur, secundum sæpius laudat. *Pechlin. L. III. Obs. XIII.* purgantium effectus nisi conscia voluntate propinentur, vel nulli sint, aut eo convertantur quo fixa cogitatio vel utentis præsumtio illos inclinat, atque, ea ratione, in contrarium quoque medicaminum aliorum facultates ab imaginatione ad illum effectum determinentur quem quisque sibi animo, certo eo atque obstinato, fingit? Cur purgans in insomnio phantasiæ occurrens alvum sæpe moverit? *Waldschmid. Ephem. N. C. D. I. Ann. III. Observ. 234.* Cur a sola cogitatione & imaginatione orta sæpe purgatio? Cur & quomodo illa medicaminum vires determinet? Exempla prostant apud Auctores modo citatos, nec non *Bartholin. Cent. V. Hist. 54. Borrich. Act. Med. Hafn. Vol. V. Obs. 49. 50. Manget. Bibliothec. Med. Pract. T. II. p. 1067.* conf. *Miscell. Nat. Cur. Germ. Ann. 1676. 77. Obs. 146. & 238.*

Verrucæ & nævi quomodo admota manu de

Ex eo etiam, quando anima solicito timore valde agitata partes cumprimis, quibus metuit constringere valet, ratio deducitur, cur verrucæ, nævi materni, aut etiam strumæ, per attactum manus demortui, in subiectis fortioris

tioris imaginationis, ſenſibilioribus, & qui mortuos in primis perhorreſcunt, ſibique per eorundem attactum nocumentum quoddam inferri credunt, (in aliis enim quibus hominis mortui manus metum non affert, effectus non ſequitur,) aliquando curentur & abigantur? Nempe dum anima manum demortui expaveſcit, & imprimis in illo pavore de parte illa corporis, quam manus mortui attingit, valde ſolicita eſt, ipſa illa pars vehementius conſtringitur, tonum fortiorem acquirit, rectæ diſpoſitioni reſtituitur, viæ & vaſcula, quibus nutrimentum deferebatur ad verrucam vel nævum, valida conſtrictione comprimuntur & diſturbantur, unde exareſcunt ac ſenſim ſeparantur & decidunt; ſtrumæ vero validiſſima illa conſtrictione, reſtituto parti fortiori tono, imminuuntur. *mortui curentur?*

Inde quoque, & eo fere modo Regum illorum, quorum non ſolum meminit antiquitas, ſed quibus hodieque ſiugularis in ſanandis ſtrumis efficatia adſcribitur, vid. doctiſſ. *Morhofii Princeps Medicus*, *Paſchius de Invent. Nov Antiqu. C. VI. §. XXVI. ſeqq.* explicanda eſt proprietas. Quamvis enim ab individuali & certis quibusdam familiis propria corporum temperie, aut etiam ab aliis cauſis, illam deducere quidam velint, rectius tamen & veritati convenientius mavult Cl. *Schraderus*, *de Idioſyncraſ. §. XXI. moralem hic ſimul agnoſcere cauſam, dicendo: conceptam præ Regia maieſtate reverentiam & ortam hinc*, (ex mentis ſplendore Maieſtatis perculſæ ac ſolicitæ pavore,) *ſpirituum* (ſive potius ipſius nervoſi generis & partium ſolidarum, in illa hactenus explicata animæ & corporis conſpiratione) *in humores peccantes dein agentium excitationem multum, ſi qua hic fiunt, efficere poſſe, ne dicam, totam implere paginam.* *Reges qua ratione ſtrumas tactu curentur?*

Neque

Masculus septimus, sine interveniente puella natus, an peculiare quid habeat in certis affectibus curandis.

Neque alio modo, quam animi ex secura persuasione confidentis &, ex acriore desiderio, ad certissimam spem exardescentis firmissima intentione, phantasiæ vegetioris excitatione & ad partes directione, effectum fuit, quando masculum septimum non interveniente puella natum peculiare donum & proprietatem in curandis strumis aut aliis similibus affectibus habuisse observatum & animadversum est; si modo vera sunt quæ *Petrus Bungus, de myster. numer. cap. de numer. septimo*, nec non Cl. *Io. Ioach. Zentgravius, Diss. de hoc argumento*, tradiderunt. Nolim equidem temere negare quod hic posterior de masculo eiusmodi *septimo* asseverat; eundem Medicinæ operam dantem stupenda in curandis strumis præstitisse, iisdemque, quæ ille adhibuit, medicamentis alios, etiam felicissimos Medicos, nihil obtinere potuisse: Illud tamen non tam peculiari virtuti aut mysterio numeri septimi, quin potius firmiori ægri confisioni, (quam plurimum posse in methodo medendi, agnoscunt ipsi experientissimi Medici,) in talem Medicum, quem opinio, non ars, commendat, ex vana quidem persuasione exortæ, & hinc experrectiori & intensiori imaginationi adscribendum existimo. Fiducia enim cum vivida imaginatione ad amissæ sanitatis restitutionem sola sæpe tantum contribuit, quantum omnia reliqua instrumenta ad salutem reducendam necessaria. Hæc enim rebus nihili & nullius efficaciæ, pulveribus inertibus, quin & nudis schedulis devoratis efficaciam largitur, amuletis sæpe absurdissimis vires concedit, efficit ut cibi nocivi sed cum desiderio & appetitu ingenti assumti medicamentorum vim acquirant, arcanis sæpe vanis & ineptis, quæ magno vanus promissor, hiatu vendidat, aliquando vires conciliat, aliosque mirandos effectus producit. conf. Cl. *Langius de Anim. commot. vi Med. §. LII. seqq.*

Ex

Ex ſolicito iſto timore, quo anima partes, quibus metuit, cumprimis conſtringit, ratio etiam fluit, cur cingulum ex corio humano, quod obſtetrices parturientibus applicant, partum aliquando inprimis promoveat. Vbi tamen id obſervandum, ut parturientem certiorem reddamus, cingulum illud eſſe ex corio humano confectum: ita enim, ſi, quod vulgo fieri ſolet, omnia ex hominibus, & quidem maleficis, violenta morte defunctis, expaveſcat, ſibique, & partibus, imprimis quibus applicatur illud cingulum, lumbis videlicet, metuat, partes iſtæ, ſolicitæ imaginationis vi, vehementius conſtringuntur, uterus comprimitur & partus promovetur. Quamvis enim fallacia non cauſæ ut cauſæ hic committi videatur, atque effectus ſæpe optatus ſoli conſtrictioni abdominis, per cingulum, adſcribi ſoleat: tamen, quibus vires imaginationis perſpectæ ſunt, facile pervident, effectum hunc multum, accedente imaginatione, promoveri, dum conſtrictio, in illa animi averſione a corio humano, efficacior redditur. Ipſi equidem corio humano, qua tali, nihil virtutis aut efficaciæ adſcribo; quin perſuaſiſſimum habeo, in illis ſubiectis, quæ mentem ab hac ſuperſtitione & timore liberam habent, eiusmodi cingulum plus efficere non poſſe quam alia cingula ex corio quocunque firmo & denſo & ad abdomen firmiter conſtringendum apto confecta: concurrentem tamen ex perſuaſione, vana licet, imaginationem effectum facilitare ex antea dictis obſcurum eſſe nequit. Vnde nullum quoque, mihi quidem, dubium eſt, cingulum ex corio ſuillo, cervino, aut alio quocunque ſimili, idem præſtiturum quod cingulum ex corio humano, ſi modo parturiens certo perſuaſum habeat, cingulum illud ex corio humano eſſe confectum.

Cingulum ex corio humano cur partum promoveat?

V Huc

Mirabiles corporis tremores ex phantasiæ impressione.

Si phantasiæ hanc, in corpus eiusque certas partes, efficaciam paulo attentius perpendamus, non omnino impossibile quoque fuerit, causam quodam modo & rationem deprehendere, qua homines quidam irrequietæ mentis, imaginationis fortioris, & qui sæpe variis, quas sibi fingunt, repræsentationibus & impressionibus fortioribus, ex instituto, phantasiam suam lædere & turbare solent, accedente sæpe vel nativa, vel per animi irregulares agitationes, fixa intentione magnaque perseverantia continuatas, acquisita, vel etiam morbosa solidorum fluidorumque dispositione & mobilitate, varios corporis motus irregulares, mirabilesque membrorum quorundam tremores, partiumque contremiscentium quasi lusus, sæpe inviti, sæpe accedente nutu & voluntatis intentione, experiuntur & producunt. Vt non opus habeamus ad Dæmonum semper ludibria hæc referre. Quantæ enim artis in hoc negotio partes esse possint, Pantomimorum exemplo manifestum est. vid. inprimis Cl. *Pechlinus Obs. XXXV. L. III.* Quid morbosa constitutio possit, ex Epilepticorum mirandis sæpe agitationibus & tremulis membrorum motibus Medicis ignotum esse nequit. Quousque phantasiæ vires se extendant, iam vidimus. Nec longe petenda ratio est. Inordinatis enim ideis immaterialibus cum agitationibus mentis vehementioribus respondent inordinatæ ideæ materiales in principio nervorum huiusque fibrillarum vehementiores exagitationes, ut non mirum sit, si, per connexionem funiculorum nerveorum, mirabiles & anomali certorum membrorum motus, tremores, & illorum præcipue, ad quas phantasia est directa, sequantur.

Idiosyncrasiarum ratio.

Huc quoque pertinent tot idiosyncrasiarum sive specialium, natura insitarum, proprietatum exempla, ubi quidam

dam certas res, vel plane averſantur, vel nimium appetunt. Harum enim potiſſima ratio in eo eſt, quod, ob ſingularem organorum ſenſoriorum conditionem, habitudinem, diſpoſitionem, cumprimis vero intenſionem fibrarumque nervearum vel teneriorem, molliorem, ſenſiliorem, laxiorem, vel denſiorem, rigidiorem & fortius intenſam conſtitutionem, (qua efficitur, ut ſenſiles nervorum funiculi, ab obiectorum impreſſionibus, vel promtius & vehementius vel lentius & blandius incitentur & commoveantur in his ſubiectis, quam in aliis;) eamque vel connatam, vel conſuetudine contractam, certæ impreſſiones animam afficiant & prout illæ menti, vel gratæ, vel adverſæ ſunt, ea vel commulceatur, vel indignabunda inſurgat, variisque proin motibus, iisque vel placidis, vel impetuoſis, quos ſimiles communis ſenſorii, & nervorum inde ad & per partes protenſorum ac diſtributorum determinati motus ſequuntur, concitetur.

Spiritus hic non retrahuntur. Neque hinc in averſatione iſta, ſpirituum retractio aut averſio, quod vulgo volunt, hic in cauſa eſt, quin animi potius moleſta ſenſatio atque hinc oriunda indignatio. Illos enim non tam retrahi, quam validiori motu influere, effectus ſpaſmodici, vomitus & ſimilia accidentia teſtantur.

Idioſyncraſia hæreditaria. A nativitate, nomine hæreditario, acquirunt infantes idioſyncraſias, quando temperamentum parentum in illos transfertur, ut, tum quoad partium fluidarum mixtionem & conſiſtentiam, tum quoad ſolidarum tenſionem & tonum atque inde pendentes ſingulares proprietates, iisdem ſimiles ſint: vel quando matres gravidæ cibum hunc vel illum, in nauſea quadam & faſtidio, gravidis, ob notiſſimas cauſas, familiari, aut, urgente appetitu, nimia copia ad nauſeam usque aſſumunt: vel terrore & horrore ex re viſa, audita aut per alios ſenſus oblata percellun-

tur: vel malacia, pica aut appetitu depravato correptæ rem quandam ſolitam, inſolitam, avidiſſime appetunt, eamque vel fruſtra cum indignatione deſiderant, vel eadem potitæ cum ſingulari delectatione fruuntur: Huius enim factæ impreſſionis vehementioris ἐνέργεια potiſſimum in fœtum redundat, dum, per conſenſum matris cum fœtu, ſimilis in huius cerebro materialis idea, in anima vero immaterialis producitur, qua violenta impreſſione fibrillæ huius cerebri tenelli, ſub illo concentu, nimis tenduntur, peculiari modo intenduntur, diſponuntur aut etiam labefactantur, ac debilitatem, ſenſiliorem, aut minus etiam ſenſilem conſtitutionem acquirunt: quo ipſo ſimul vel totum connexum genus nervoſum vel ſingulare quoddam organum certo modo diſponitur certamque tenſionem & tonum conſequitur, aut certa ſolidis tenſio, fluidis temperies inducitur, ita quidem, ut, a certis obiectis, imo & ſubtilioribus ſæpe effluviis, ſingulari modo, hæc commoveantur, iſta afficiantur, ab iisdemque vel vehementiorem ingratam vel blandam pergratam impreſſionem ſuſtineant. Nervis enim, ita diſpoſitis atque certo modo intenſis, facile efficitur, ut quoties poſtea illa ipſa idea materialis, quæ immateriali in matre, ſive adverſæ ſive gratæ, occaſioni fuit, ab obiecto conveniente, per organum, excitatur, impreſſio in fibris diſpoſitis ac peculiari modo intenſis vel vehementior vel blandior ſit, atque ita ideam immaterialem in anima ingratam, terrificam, aut gratam ac delectabilem producat. Vt enim horror maternus fœtui faſtidium & averſationem, ita appetitus & delectabilis, quam ſibi de re quadam ſiſtit, idea eidem ſimile deſiderium inducit & inprimit: quatenus nempe, ut modo explicui, per certam ac determinatam ideam materialem organa & partes per nervos conſentientes certo modo diſponun-

Quomodo fiat iſta proprietatum a matre in fœtum translatio.

ſponun-

ſponuntur &, intenduntur, v. gr. in appetitu ciborum, organum vel ſubiectum, in quo appetitus quaſi reſidet, nerveæ ventriculi fibræ. Hinc ubi poſtea in animo concipitur certum alimentum, ipſa illa in fibris cerebri, in utero antea per vehementem impreſſionem diſpoſitis, idea materialis & motus configuratus vel vehementior vel blandior conſpirat, quam tunicæ nerveæ ventriculi, itidem iam diſpoſitæ, ſenſibilis vellicatio eaque vel violenta, adverſa, vel blanda & grata, ſequitur, unde alimenti iſtius vel averſatio vel deſiderium exoritur.

Similis modo res procedit in Idioſyncraſiis adventitiis & poſt nativitatem demum vario modo contractis. Quando enim huius vel illius organi fibræ nervoſæ ſenſiles, & cum his, per connexionem, promte & ſingulari modo, conſentientes fibrillæ medullares cerebri, vel obiecti cuiusdam vehementi, adverſa actione, vel uſu alicuius rei, v. gr. alimenti, nimio, vel etiam vi morbi, in tono & diſpoſitione mutantur, facile fit, ut poſtmodum, ubi ſimilia obiecta, licet non vehementer agentia, ipſa tamen illa organa mutata vehementius percellant, atque ſapores quidam papillas linguæ atque ſenſiles œſophagi & ventriculi nervos, odores certi olfactoriorum nervorum propagines, ſoni nonnulli nervorum auditoriorum fibrillas per aurem interiorem ſparſas & expanſas, viſus quædam obiecta tunicam retinam, alia obiecta tactus organum moleſtiſſime feriant; unde impreſſio, concentus & idea materialis in organis mutatis nimis violenta ideam immaterialem adverſam & ingratam excitat, cui motus nervorum in corpore & corporis partibus hiſce ideis convenientes reſpondent. *Idioſyncraſia adventitia.*

Ita ſi infantes re quadam frequenter terreantur, aut a felibus, canibus aliisque animalibus aliquando ſubito terrefacti & offenſi fuerint; tum animalia eiusmodi ſæpe per *Exempla earum, & ratio.*

totam vitam timent, horrent, abominantur, ut ne præsentiam eorum tolerare possint, quin ad nomen etiam expallescant atque contremiscant. Nempe cum fibræ cerebri, in infantia, adhuc tenellæ, vehementi impressione, sub certo illo concentu, fuerint nimis exagitatæ & labefactatæ: hinc postea, reducta ac denuo exorta simili materiali idea sive concentu determinato, vel ab actione obiecti, per organum, vel ab idea immateriali per phantasiam, impressio & agitatio in fibris labefactatis est iusto violentior, & ex consequenti respondebit in anima idea immaterialis ingrata & abominabilis.

Idearum connexio, qua una alteram advocat.

Deinde, quum idearum magna sit connexio, ut una alteram facillime revocet, facile perspicitur, quomodo ad simplicem ideam eiusmodi animalis, vel per phantasiam, occasione nominis, vel per præsentiam, dum visui sistitur, excitatam, altera simul idea, quod hoc vel simile animal nocumenta aliquando intulerit, revocetur, & proinde horror, timor, pallor, trepidatio, cardialgia & similia, per nervorum violentas agitationes, oriantur, in subiectis cumprimis delicatioribus, nervis tenerioribus ac sensilioribus præditis, qui & facilius & fortius ab impressionibus incitantur, & promtius ac expeditius ideis immaterialibus, pronissima mobilitate, obsequuntur.

Ita quoque sæpe accidit, ut, si quis in cibo alias grato rem sordidam deprehendat eoque ipso insignem nauseam concipiat, ipsa illa nausea postea, ad conspectum vel auditum, aut etiam imaginatione oblatum eiusmodi cibum, recurrat: dum cibi istius idea offerri nequit, quin revocetur connexa idea immaterialis conceptæ nauseæ, quæ deinde ideam materialem nauseæ, & incitationes ac motus ventriculi reliquarumque partium inde pendentes, in illa conspiratione, suscitat.

Memi-

Memini hic amici coniunctiſſimi, qui quum, in itinere maritimo, nautilia, leviori quidem & tantum ad nauſeam, afflictus fuiſſet; omnes cibos, quibus in navi uſus fuerat, poſtea mire averſatus fuit & ne quidem eorum meminiſſe ſine nauſea potuit; cum idea cibi revocaverit in anima ideam nauſeoſam, atque hinc, conſpirantibus ideis immateriali & materiali, motus nauſeoſi organorum appetitus ſecuti ſint.

Averſatio quorundam ciborum ex nautilia.

Et hinc eſt, quod, ſi quis delicatioris ac ſenſibilioris naturæ purgans quoddam aut vomitorium, in vehiculo quodam alias grato, aſſumſit, aut liquorem quendam inter vomendum, ad promovendum vomitum hauſit, aut ſi in medicamento ſapor quidam, v. gr. cinnamomi, roſarum, aniſi, prævaluerit, is poſtea diutiſſime eiusmodi liquorem, ſaporem & odorem ita averſetur, ut ad nomen, revocata ſcil. idea immateriali & per hanc materiali quoque, ventriculus nauſea concepta inſurgat & eiusmodi homo expalleſcat & cardialgia affligatur.

Ex nauſea vomitorii vel purgantis.

Hinc quoque facillime patet ratio magnæ cognationis inter has ſenſuum externorum proprietates magnæque harmoniæ, quando quod unus averſatur id facile reſpuunt & reliqui: ut, qui rerum nonnullarum guſtum ferre nequeunt, earum interdum nec conſpectum, multo minus odorem tolerant, cum ubique revocetur idea immaterialis, & per hanc materialis & conſpirantes in corpore motus.

Quod unus ſenſus averſatur plerumque reſpuunt & reliqui.

Sic quoque per conſuetudinem quam ἐπίκλητον φύσιν, adſciticiam naturam *Galenus*, alii ſecundam & affabricatam naturam vocant, acquiruntur idioſyncraſiæ, quando ſucceſſiva & crebra obiectorum & rerum quarundam adverſarum & ſæpe etiam nocivarum impreſſione & actione tum fibrarum nervearum diſpoſitio, tenſio & tonus, tum

Idioſyncraſia conſuetudine acquiſita.

tum fluidarum partium mixtio & temperies ita mutantur, ut quod, invisa, ingrata atque etiam nociva impressione & actione, maximum fastidium moverat aut nocumentum intulerat, iam, in organis mutatis, blanda perfrictione acceptissimum in mente sensum, in aliis partibus & fluidis alio iam modo constitutis nullum nocumentum nec perversam vel intemperatam mixtionem producat. Exemplo esse possunt, qui certis rebus, alias adversis, v. gr. fumo tabaci, ita assuescunt, ut easdem postmodum in deliciis habeant; qui medicaminibus naturam ita assuefaciunt, ut nullum amplius effectum edant; qui opium & huiuscemodi generis narcotica, magna dosi, sine noxa, assumunt, quique venena in cibum vertunt atque ita vim eorundem deleteriam & corruptivam assuetudine reprimunt ac eludunt. Tanta est consuetudinis vis; quæ natura potentior eandem superat & germanam naturam in extraneam transmutat, malignitatem & perniciem venenorum vincit eademque venenositate spoliat; *quæque postquam semel invaluit, peregrina quæque ut solita obiectat: omnia per unam illam levia, accepta, quantumvis alias dura:* verbis Excell. ***Pechlini**, de Aëris & Alim. defect. & vit. sub aqu. C. XII.*

Exempla.

Vis consuetudinis.

Homines miseria assuescunt.

Sic homines miserrimo vitæ generi sæpe assuescunt, ita quidem, ut ab eo liberati idem rursus votis exposcant & repetant: exemplo illius Genuensis, qui cum, ob delictum, ad ergastula nautica condemnatus durissimos ibi per 25 annos exercuisset labores, libertati tandem a Principe ***Doria*** restitutus eam grata quidem animo accepit, sed mox eiusdem pertæsus rediit & in pristinam iterum, cui assuetus erat, servitutem se ablegari petiit. vid. Exc. ***Schraderus** de Idiosyncr. §. XXII.* cui non absimiles sunt plures ex Zingarorum vagabunda & miserrima turba. Adeo verum

verum eſt, quod ait *Seneca* : *Natura calamitatum mollimenium conſuetudinem invenit, in familiaritatem graviſſima adducens. de Tranqu. Vitæ. c. 10. Nihil miſerum eſt, quod in naturam conſuetudo perduxit, paulatim enim voluptati ſunt, quæ neceſſitate cæperunt. id. de Provid. c. 4.*

Vividiori quoque imaginationi inque firmiſſimam ſpem erectæ phantaſiæ debetur vis & efficacia periaptorum, amuletorum, characterum, illiusque apud *Q. Serenum Sammonicum*, hemitritæo depellendo coni, Abracadabra; quæ proinde non niſi in ſubiectis ſenſibilioribus, & ubi valida imaginationis vis accedit, operantur & uti magicam ſuperſtitionem ſæpiſſime ſapiunt ac nil minus plerumque ſunt, quam res, unde tantillum levaminis poſſit proficiſci, ita inſigni & exoptato effectu ac eventu, plurimorum obſervatione, aliquando ſe probant & commendant, ſola animi fidentis intentione, communis ſenſorii conſpiratione; & nervorum ad partes protenſorum fortiori tenſione; vividius enim ita nactæ robur facile morbi cauſam excutiunt. Atque adeo, ſecundum illud *Avicennæ*, fiducia, quam æger de medicamento concipit, & arti & conſilio & omnibus Medicinæ inſtrumentis ſæpe præferenda eſt. Phantaſia metu & horrore perculſa morbos poteſt inferre: quidni eadem obfirmata & ad optimam ſpem exardeſcens morborum inſultibus poſſet obniti eosque repellere? Quamvis præterea fallacia non cauſæ ut cauſæ ſæpiſſime ſubſit, cum, quem interea temporis, dum ſpes ægrum fovet & patientiæ iugo, quod alias excutere videbatur, alligatum tenet, naturæ vigor atque bonitas vicit morbum, inepto & inutili periapto ſublatum exiſtimamus. Lepidiſſima eſt hiſtoria, quam celeberr. *Ebelius*, ſplendidum Academiæ noſtræ quondam decus, *Tr. de Virib. Imagination.* de Parocho, in Wetteraviæ

Vis amuletorum a phantaſia ægri dependet.

Fiducia ægri in medicamentum.

Hiſtoria.

raviæ quodam, prope Friedbergam, pago, refert, cui Prætor rusticanus, homo festivus, intempestive desideranti, ad dentium dolorem depellendum, schedulam per novendium, (ineptias ineptiarum! intra novendium solius ope naturæ malum poterat percurari:) collo appendendam & postea, versa facie, non retro respiciendo, in flumen abiiciendam felici effectu præscripsit, cui sequentia & quidem obscœna verba, idiomate germanico, erant inscripta: **Teuffel reiß dem Pfaffen den Zahn aus und sch. ihm in die Lücke.** Huic non nisi infelici eventu dissimile est, quod ex *Roberto Talbor*, Anglo, *de Caus. & Curat. intermitt.* allegat χαρίεστατος *Schelhammerus*, *de Genuin. Febr. curand. Method.* ubi acceptum a vetula periaptum paucis quidem diebus sanitatem ægro reddiderat, sed cum præter inhibitionem, postea sequentia verba eidem inscripta deprehenderet: *Ague fare vvel, till vve meet in hell*, h. e. Febris vale, donec in inferno nos revisamus, adeo fuit perterritus, ut cum vi & violentia recrudescens malum non multo post mœrore confectum ad plures raperet.

Curation. sympathet. potissima ratio. Nullum est dubium, quin ex iisdem principiis curæ sic dictæ sympatheticæ, si quid efficaciæ in illis est, eveniant, etsi plurimum etiam regimini, ad quod rerum imperiti non attendunt, debeatur. Quodsi enim quis lectis circumvolutus sibi firmiter persuaderet, se assumisisse medicamen, v. gr. sudoriferum, vel fieri aliquid, quod ab extra in corpus operaretur & ad illum effectum duceret; sane si nil quicquam assumsisset, vel nihil perageretur, sola imaginationis & fixioris animi directionis vi, sudore nihilominus difflueret: exempla vidimus supra. Ideam enim determinatam immaterialem extantiorem, cum solicitæ mentis fortiori intensione & desiderio, comitatur conveniens idea materialis sive motus & concen-

tus

tus determinatus, validus & efficax in communi ſenſorio, quem vi connexionis nervorum & mechaniſmi ſequuntur certi motus & intenſiones certarum partium, quæ ſine determinato effectu eſſe nequeunt. Adeo non difficile eſt vaferrimis hiſtrionibus apud imperitos famam aucupari eorundemque ſimplicitati imponere.

Inprimis vero ex illo mentem inter & corpus ſublato per imaginationem æquilibrio tot phantaſiæ luſuum in gravidis notarumque in fœtum transmiſſarum, quæ tot acutiſſimorum Philoſophorum ingenia ſæpe fatigavit, perſpicua ſatis reddi poteſt ratio. Nullum, apud peritiores, dubium eſt, quin pleraque, quæ hic miramur, per mechanicos catenatosque nervorum motus evidenter poſſint expediri, modo illud admittamus, quod ſupra notavimus & contra manifeſtum experientiæ teſtimonium negari nequit: animam ingenti deſiderio, metu, terrore, timore, averſione concitatam, vehementi impulſu certas partes, de quibus in illa commotione ſolicita eſt, ut illas periculo quaſi eriperet, poſſe certo modo & certo motu agitare, ſtringere, conſtringere, diſtorquere & varia ratione, intercepto humorum motu, diſponere & alterare, in illis cumprimis ſubiectis, quorum ſenſilior eſt conſtitutio, fortior imaginandi vis, & quæ affectuum motibus præ aliis ſunt obnoxia.

Phantaſiæ luſus in gravidis.

Anima partes, de quibus eſt ſolicita, ſtringit.

Docent hoc exempla, ſupra allegata. Docet præterea ancilla, apud *Malebranchium*, cuius, quum candelam admoveret, dum ægro venæ pedis inciderentur, ſimul ac ſcalpellum vidit infixum, tantus pavor invaſit artus, ut per triduum aut quatriduum, in eodem pedis loco, quem viderat incidi, ſenſerit dolorem adeo acerbum, ut decumbere coacta fuerit. *De Inquirenda Veritate Libr. II. Cap. VII. p. m. 94.* ubi non adeo ineptam rationem ſubiungit,

Quod exemplis declaratur.

iungit, quod ſpiritus in illas corporis partes vehementer ſe diffundant; quo pacto illæ intenſiores factæ vehementiorem in mente excitent ſenſationem, ut ſibi quaſi ab incommodis, quæ aliis inferri videt, præcaveat. Huc pertinet hiſtoria *Theodor. Kerckring. Obſerv. Anat. III. p. 6.* de Quæſtore Neoburgico, qui, cum frumentum e granario ruſtici efferri iuberet, a vetula, blande quidem, percuſſus, ſolicitæ imaginationis vi primo tuberculum, deinde tumorem ſaccum frumenti referentem in dorſo acquiſivit. Præſertim vero hoc illuſtrat mirabilis hiſtoria, quam ex *Sim. Scholzii Hiſtor. Med. mirabil. L. II. Cap. I.* excerptam ſiſtit *Manget Bibl. Med. Pract. l. c.* de Præconſulari Miniſtro, qui vidit per ſomnium hominem quendam ſibi obviam venientem & lapidem in manu dextra tenentem, propiusque tandem accedentem & lapidem in pectus ſuum vibrantem, ac regionem ſupra ventriculum percutientem: quo ſomnio expergefactus, percepit dolorem in pectoris media parte ſupra ventriculum, accenſaque candela animadvertit in dicto loco maculam nigram orbicularem, magnitudine pugni, quam, quum nihil eſſet, niſi ſanguis extravaſatus cum aliquali partis conquaſſatione, Chirurgus mane accerſitus ſcarificatione, diſcutientibus & reſolventibus lege artis diſpulit. Facile hic apparet, quod anima, in ſubiecto diſpoſito, inſomnii terrore perculſa, in illa idearum immaterialium, materialium & partium per nervos connexarum conſpiratione, partem, cui metuebat, eidem quaſi ſuppetias latura, ſubito & magna vi adſtrinxerit, ac fibris eiusdem conſtrictis dolori, & ſanguinis ſimul motu præpedito, extravaſationi occaſionem dederit.

Phantaſia in inſomnio effectus mirabilis.

Eius ratio.

Ex eadem ratione Adoleſcenti illi melancholico atque lunatico, de quo Excell. *Hoffmannus, Halenſis*, peculiari

Phantaſia in melan-

culiari *Dissertatione, Ienæ olim habita*, *de Morbo Convulsiva viso spectro*, egit, cum primo timore ac terrore maximo perculsus spectrum humeris incumbens summo cum angore portare sibi visus esset, & deinde spectrum eadem forma in conspectum venire ac pollicem pedis dextri sibi lecto decumbenti extrahere conari putaret, pollex insigni rubore altero die stipatus in suppurationem tandem abiit. Quamvis enim hic somni expers fuerit, melancholici tamen vigilantes somniant & metus in his maximus vehementius agit. *cholicis effectus.*

Eademque phantasia terrore ac vehementi pavore simili modo agitata sæpissime in causa est, quando melancholici, & vetulæ hypochondriacæ deliræ, pro sagis vulgo habitæ; stigmata & maculas lividas in brachiis vel aliis corporis partibus conspicuas a veneficis, vel malo dæmone, sibi cum doloris sensu inflictas fuisse serio, sed falso, contendunt.

Nec aliam ob causam *Publius Cornelius Rufus* (sive ut alii legunt *Rufinus*) qui Consul cum *M. Curio* fuit, dormiens oculorum visum amisit, cum id sibi accidere somniaret. *Plinius N. H. L. VII. Cap. L.* Hinc etiam haud difficulter derivari ratio potest, cur *Phayllus*, *Phocensium Dux*, cum attentius sceleton æneum *Hippocratis* inspexisset & se similem factum somniasset, mox macie contabescens somnii veritatem confirmaverit. *In somniantibus.*

Pari ratione vis & impetus nervorum, subito & vehementius intensorum & constrictorum, horrore imaginario concitatus, in gravidæ matris partes, ad quas fixa cogitatione intenta est anima, dirigitur & irruit, sed, ob firmiorem fibrarum dispositionem, repellitur; ad delicatiores vero embryonis partes harmonicas directus, vim & efficaciam suam exerit. *In gravidis.*

Non simplex adspectus rei monstrosæ, sed qui eum animi motu coniunctus est, in embryonem operatur.

Verum, ut pleniore demonstratione id ipsum dispalescat, notandum erit: non quamlibet impressionem in gravidis, aut simplicem adspectum obiecti monstrosi, deformis, horridi ac fœdi, vel etiam animalium, ranæ, soricis, bufonis, araneæ, extra nocendi potentiam constitutorum; aut commune desiderium pyrorum, pomorum, fragorum, uvarum & similium: sed potius Matris in res istas, cum ingenti horrore, formidine, animique motu, quasi corpori vel vitæ periculum inde immineret, contuitum, sive verum, sive occasione strepitus, soni, aut alius rei ex improviso oblatæ fictum: vel magnam cupiditatem & fortiorem rei disideratæ impressionem, translato, quem desiderium vel horror peperit, per nervos & fluidum nervosum im embryonem motu;

Organis eiusdem sensoriis singularem sentiendi dispositionem inferre.

Appetitus in prolem translatus.

Sic mulier Daventriensis apud *Tulpium Obs. L. II. C. XXIV.* quæ gravida tam impense halecibus salitis delectabatur, ut ante partum, sive tempore graviditatis, comederit mille ac quadringentos, infantis mox in lucem editi appetitum adeo stricte huic servituti mancipaverat, ut, cum necdum posset verbis, expetierit tamen eiulatu haleces.

Appetitus pisc. cum aphonia fœtui impressus.

Quo pertinet Illustr. *Schræckii* Observatio, *Miscellan. Academ. Cæsareo-Leopoldinæ Nat. Cur. Dec. III. Ann. IX, & X. obs. LXXXVI.* ubi Nobilissima Matrona uterum prima vice gerens, una cum Socru sua in forum exspatiata, cum alia inter edulia venum exposita Cyprinum elegantem conspexisset, magna eundem emendi cupiditate adfecta, quo minus tamen id faceret, a Socru, dedecori id sibi fore rata, impedita sicque domum tristis reversa fuit, ubi varie & delicate in cibum paratos alios Cypri-

nos,

nos, a Socru quidem adpositos habuit; ex quadam tamen animi impotentia, tristitia & indignatione edere pertinaciter renuit. Accidit vero, ut, post aliquot menses, iusto tempore, puellam sanam & nulla labe deformatam pareret, in qua loquelam, linguæ motu quidem libero, deficere, successu temporis observatum fuit. Huic aphoniæ phantasiam maternam, ex frustrato Cyprini expetiti esu contristatam & exacerbatam ansam dedisse, tum cura subsecuta, tum alterum quod vir laudatissimus subnectit exemplum evidenter confirmat. In vicina nempe civitate Kauffbayern, ante plures annos, civis cuiusdam uxor gravida pariter piscem aliquem oculis obversantem comedendi cupidine inflammata, præ pudore tamen celare appetitum hunc maluerat, quæ & ipsa postea puellum peperit, quem mutum esse ætas succrescens docuerat. Ille itaque cum novennis iam esset, atque patrem extra urbem, piscatus gratia, euntem comitaretur, truttam circiter libralem, quam hamo captam pater, plurium capturæ operam daturus, ipsi custodiendam tradiderat, magno ardore adpetens, præmorso primum vivæ capite, totam dein dentibus dilaceratam devoraverat, patrique id cum stupore spectanti, & quid fecisset, interroganti, rupto linguæ repagulo, responderat guter Fisch (bonus piscis) & mox essen / (edere,) sicque liberiorem loquelam nactus plane convaluerat. Id quod cum præfatæ nobilissimæ matronæ relatum esset, atque ex matre huius pueri, tum vidua, & Augustæ Vindelicorum puerperis ministrando vitæ suæ adminicula quærente, rei certitudinem percepisset, in ipsamet filiola, tum quadrienni, simile experimentum facere, non tantum ab amicarum cœtu, sed inprimis a dicta fœmina, persuaderi sibi passa est: quæ ideo tres fundulos maiores vivos, in aqua, pelvi immissa, puel-

Aphonia hæc curata: cum, quem mater non poterat, appetitum infans sedaret.

læ

læ oculis exposuit; quos ipsa conspiciens, neque a præsenti mulierum corona (quæ dissimulando obliquis tantum oculis actiones puellæ intuebatur) se observari rata, magna cum aviditate pisculum unum post alterum ex aqua venari, capitibusque eorum demorsis, reliquum corpus dentibus comminuere ac deglutire sustinuit, atque paulo post, magno conatu adhibito, aliqua verba proferre incepit, sicque sensim, magis magisque, loqui perrexit, in illum usque diem, quo hæc scribebat illustr. Auctor, sine remora loqui apta; nisi quod nonnihil tardiuscule, vel quasi aliqua cum pigritie suos sermones protulerit.

Matrum inclinationes transferuntur in fœtum.

Matrum imaginationem animi inclinationes transferre in fœtum, omni memoria experientia exploratum habuere intelligentes: quod & *Hesiodus* antiquissimus Poëta agnovit, qui, *L. II. Oper.* præcipit, ne quis a funere rediens liberis operam daret, ne scilicet tristis rei imaginatio in prolem transiret. Nec præter rem cecinit *Thomas Morus*, prout ex *Delrio* refert *Gasp. a Reies Francus*, *Elys. Iucund. Quæst. Camp. Quæst. L.*

Atque graves tradunt sophi,
Quodcunque matres interim
Imaginantur fortiter,
Dum liberis dant operam:
Eius latenter, & notas
Certas & indelebiles,
Modoque inexplicabili,
In semen ipsum congeri;
Quibus receptis intime
Simulque concrescentibus,
A mente matris insitam
Natus refert imaginem.

Natam

Natam inde idioſyncraſiam inducere.

Exemplo formidinis gladii in *Iacobum*, Angliæ Regem, a matre gravida, atque gladiis in *Rizium*, Muſicum, ſtrictis perterrita, translatæ; qui proin equites non niſi averſo a gladio vultu creare valebat. Sic legimus apud *Eraſtum, lib. de occultis propr. Henr. Smetii Miſcell. inſert.* principem fœminam ſibi notam eamque admodum cordatam feles, etiam in cubiculo latitantes, exhorruiſſe ad animi usque deliquium. Cauſam eandem retuliſſe in matrem. Nam cum ab ea geſtaretur utero, felem de ſublimi prope matrem decidiſſe, hac illam tantopere fuiſſe exterritam, ut incideret in animi deliquium: pavoremque eum diebus duraſſe compluribus. Nec deſunt alia exempla plurima: conf. quæ paulo antea de idioſyncraſiis diximus. *Formido gladii in fœtum tranſit.* *Metus item fele.*

Partes certo modo, ordine, ſitu, nexu, figura diſponere & quaſi formare.

Quo pertinet monſtrum illud Cacodæmoni picto, quam homini ſimilius, apud *Kerckringium, Obſ. Anat. XXIII.* Illud etiam *Olig Iacobæi*, *Act. Hafn. Vol. III. Obſ. 59.* nec non hiſtoria, quam de Colonitio recenſet *Tob. Coberus, Obſ. Vngar. VI.* qui ex matris gravidæ, cataphractum intuentis, imaginatione, pectus non ex coſtis, ſed continuo ſolidoque oſſe habuit, tanti roboris, ut ex duriſſimo ictu nihil doloris eo loco ſentiret: aut etiam hiſtoria *Malebranchii l. c. p. m. 96.* itemque *Pechlini*, de viro præclariſſimo magnisque eruditionis dotibus inſigni, qui præter ſimiæ vultum, quem ex terrore mater conceperat, minas etiam geſticulationesque, quibus id genus animalis ludere ſolet, ad unguem referebat. *Obſ. XV. L. III. p. 431.* nec non illa in *Zodiac. Medic. Gallic.* de quadam muliere, quæ peperit puellum ſimiæ toga hiſtrionica in- *Pectus ex unico oſſe.* *Fœtus ſimiis ſimiles.*

dutæ omnino ſimilem, quem gravida quadrimeſtris, apud funambulum, conſpexerat. ***Ann. IV. Menſ. Mart. Obſerv. XX.*** ut & ***Franciſc. Bayle*** de muliere Burdigalenſi, a menſibus 5 & 6 in utero gerente, ſpecie ſimiæ perculſa. ***Diſſert. Phyſic. III. Art. VII. p. V.*** nec minus hiſtoria in alleg. modo ***Zodiaco Gallico. l. c. p. 108.*** recenſita, de muliere gravida figuram cadaveris a vermibus ſemiexeſi intuente, cuius cum forte præteriens quidam togam calcaret, & eapropter mulier poſticæ corporis parti manum admoveret, eam ſubtractura, accidit ut fœtum ediderit cadaveris figura donatum, & præterea etiam ſignatum eodem loco, cui mater manum intulerat. Sic apud ***Horſtium Ep. L. I. S. IV.*** puella quæ continuo circa infantem hydrocephalum verſabatur, paulo poſt nupta infantem eadem ægritudine & deformitate affectum peperit. Aliquot etiam exempla huc pertinentia obſervavit ***Guil. Fabric. Hildanus Cent. III. Obſ. LVI.***

Cadaveris figura fœtui affricata.

Easdem reſolvere.

Crurifragium fœtus in utero.

Vid. eiusdem ***Malebranchii Obſerv. l. c. p. m. 95.*** de Iuvene in Noſocomio Pariſienſi, dicto ***les incurables***, a prima nativitate, quod mater gravida crurifragium Malefici cuiusdam adſpexerat, mente capto & omnibus membris, quibus frangi ſolent rei, fracto, quem ipſa Regis Mater, Noſodochium inviſens, ſæpe vidit & loca brachiorum ipſius & crurum fracta contrectavit, nec non ***Gaſſendi in Vit. Peireſcii, pag. m. 82.*** de gravida in oppido Provinciæ, Cipperiis dicto, ex qua, poſtquam pugione, ingeminatis ictibus, confoſſa fuiſſet, embryo eductus fuit cum totidem notis liveſcentibus & ad easdem partes conſpicuis, in quibus mater fuerat percuſſa: & ***Ephemerid. Acad. Leopold. Carolinæ N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 134.*** de puella Helvetica, cuius hiatus oris utrinque ad aures usque fiſſus & aper-

apertus cruento colore proſtabat & Leonis rictum propemodum mentiebatur ; ex eo, quod maritus uxoris in obſidione Wylenſi, dum contra hoſtem pugnaret, gladio perierat, & alius quidam enſe maxilla inferiore truncatus & ſanguine conſpurcatus iuxta ſylvam iacuerat, quem, rumore allato, gravida duorum menſium perterrita pro marito, ſed falſo, oculis intentis conſpexerat. Sic ex *C. Gemma*, *Coſmocr. L. I. C. VI.* fœminam gravidam adducit Excell. *Bohnius*, quam maritus excandeſcens, non adeo procul a partu, ſtricto gladio adoriebatur, hunc velut in calvariam eius adacturus, quæque, licet fuga ſibi conſuleret, paulo poſt infantem enitebatur, in cuius capitis illa parte, cui in matre acies minitabatur, ingens ſolutio continui comparuit, ſanguine, ad nati ſubitaneum exitium, manans. *de Off. Medic. P. II. C. VI.* ubi plures ſimiles caſus recenſet. Sicut & laudatus ſæpe Cl. *Pechlinus*, aliquot huc pertinentes hiſtorias commemorat. *Obſ. XV. L. III.* Ita ex *M. Marci a Krœnland Phil. vet. reſtit. p. 413.* notæ ſunt obſervationes, de muliere Mechlinienſi, quæ gravida vidit præforibus militem, in conflictu, manum amittere : cuius horrore perculſa mox filiam peperit altera manu truncam & hæmorrhagia ex eo vulnere extinctam ; nec non de alia ibidem, quæ viſo milite, cui ictu tormenti brachium fuit avulſum, etiamnum cruentum, confeſtim, in lucem edidit puellam eodem brachio orbam : ut alias adhuc ſatis mirabiles obſervationes, quas ille exponit, iam non commemorem. Celeb. *Sennerto* nota fuit fœmina, quæ cum vidiſſet a lanio caput ſuillum ſecuri dividi, filium genuit, cui tota ſuperior palati pars, cum maxilla & labio ſuperiore ad nares usque diviſa erat. *de Conſenſ. & Diſſ. Chym. c. Ar. & Gal. C. XIV.* Huc pertinet etiam *Miſcell. N. C. Dec. I. A. III. Obſervatio CIII.*

Solutio continui in fœtibus tenellis.

ubi viſcera fœtus extra abdominis, cute externa ſaltem tecti & clauſi, cavitatem propendebant, ex prava imaginatione ancillæ ingravidatæ exenterato vitulo oculos attentius advertentis: cui non abſimilem caſum refert experientiſſ. *Hæchſtetterus Obſ. Med. Dec. VI.* Admiratione digniſſimum quoque huius rei exemplum exhibuit *Diſſert. Francof. ad Viadr. Anno 1714. ſub Præſidio Cl. Dn. a Bergen habita, de Vag. Vterin. Theſ. IX.* Scil. cum ingens incendium in ſuburbio, tempore nocturno, exortum eſſet, & plura ædificia, interque hæc ſtabula in cineres redigerentur, accidit, ut, altero mane, uxor Iudæi, ſexto menſe circiter gravida, locum incendio vaſtatum ſpectatum veniret: in quo poſtquam iumenta varia ſemitoſta, fere combuſta ac ventribus adeo diſrupta videret, ut illorum inteſtina mirum in modum inflata foras eruperint, horrendo illo ſpectaculo perterrita domumque reverſa, elapſo reliquo geſtationis tempore, partum enititur vivum quidem & perfectum, ſed cuius cor & pulmones extra thoracem, ſupra os ſterni, poſita erant; quæque in partus laboribus magnam difficultatem & matri & obſtetrici creaverant: fœtu utcunque vivo excluſo, poſt elapſam tamen horam exſpirante.

Partes & membra abolere, aut potius cum aliis confundere.

Membrorum confuſio & abolitio in embryonibus.

Exemplum recenſet *Borrichius, in Act. Hafnienſ. Vol. II. Obſ. 82.* de gravida aſpectu mutili exterrita mutilum pariente filium, nec non Illuſtr. & doctiſſimus *Thom. Bartholinus, ibid. Obſerv. I.* de uxore honeſti civis Hafnienſis, quæ enixa erat filium tam acceptum, quia primogenitus, quam ingratum, quia primam lugendi materiam bonis parentibus præbuerat: una enim manu mancus puer prodierat, altero pede curvus. Forte obvium prægnans mater

mater mendicantem manu truncatum & pede flaccidum viderat; cuius speciem nec die nec nocte potuit oblivisci. *In Miscell. Academ. Nat. Cur. German. Dec. II. A. VIII. Obs. LIV.* sistitur figura trunci infantilis sine artubus per partum editi, cui mater post medium conceptionis tempus, a mendico brachiis pedibusque truncatis humi repente terrefacta hunc defectum quoque extremorum impresserat. Annus iam est elapsus, cum, in pago unico milliari Giessa distante, puellam trimestrem, cui manus sinistra & brachii pars ad aliquot digitos infra cubitum a nativitate deerat, videre & brachium eius contrectare ipsi mihi licuit. Causa fuerat imaginatio matris. Nempe anno 1723. circa initium mensis Octobris, uxor lanionis iam quatuor mensibus & ultra gravida, circa vesperam, marito absente, ex vitulo mactato & venum exposito portionem resecat, sectione tam infelici, ut cum læva manu cultrum tractaret, sibi ipsi dextræ manus digitum annularem, in secunda articulatione, fere penitus abscinderet; tanto infortunio vehementer exterrita digitum pendentem sinistra manu comprehendit & ne pendulus plane separetur ac in terram procidat, tenet, supervenit lamentanti ac conquerenti maritus, qui, quum digitum cute tantum pendere deprehenderet, nullamque spem, quod coalescere possit, superesse cerneret, eundem plane abscindit. Consanatur ex voto vulnus. Sub initium vero Februarii sequentis anni, felici partu infantem enititur ista fœmina sanum & vegetum, sed sinistra manu & brachio ad aliquot infra cubitum digitos mancum. Evidenter hic apparebat manus & portio brachii in unum confusa & in reliquum brachii ita retracta & intrusa, ut cutis portionis brachii illæsæ supergrederetur & promineret. Extremitas trunci inæqualis est, partibus quibusdam promi-

Puella manu, & brachio ex parte, manca, eiusque historia & accurata observatio.

nentibus & protuberantibus: quas extuberationes nihil esse aliud quam digitorum coalitorum extrema, ex eo apparuit, quod in una harum unguiculus conspiciebatur, qui postea tamen exarescens separatus est. Huc quoque pertinet exemplum, quod ex Cel. *Horstio* allegat Cl. *Bohnius l. c.* de opilionis uxore ab asino offensa & perterrita manumque suam dextram mox oculis prætendente: ita enim factum, ut fœtus postea in lucem editi brachium dextrum oculorum eius regioni, (oculis ac naribus deperditis,) adnatum, & præterea capiti nova calva vel cutis densior pilis asininis horrida afficta fuerit: nec non illud, quod sistit Clar. *Fontenelle dans l' Histoir. de l' Academ. Royal. Ann. 1713. p. 27.* ubi fœmina ultra tertium mensem gravida renem bovinum, vehementiori animi cupientis impetu, in macello, emere prægestiebat, cumque illius particeps fieri non posset, dextram manum fronti applicat, digitis supra medium verticem porrectis. Mense nono enititur puerum bene nutritum & bene conformatum, si caput exceperis. Diversa illa ossa, quæ structuram huius absolvunt, nec situ ordinario erant disposita, neque magnitudine, neque figura ordinaria prædita, in fastigio capitis huius male formati cavitas erat tumore repleta, qui & figura & colore renem bovinum referebat. Cum sexta a partu hora moreretur iste puer, Dn. *Rouaut* in capite dissecto nec cerebrum, nec cerebellum reperiebat & medulla spinalis circa tertiam demum colli vertebram initium sumebat.

Cuti varios nævos, rerumque, circa quas commota phantasia occupata est, figuras, eo in loco, quo vel sensus rem horridam deprehendit, cuique proin valde metuit, vel

vel gravida in horrore manus configit, atque, irritato ſenſu, nervorum concitatorum, ab idea materiali ſive motu fibrarum medullarium cerebri, certo modo configurato, determinatos & certo modo configuratos motus flectit & invitat, partes minimas, directione motus, in certos ſitus atque nexus diſponendo, imprimere.

Exemplis plena eſt communis vita, plena Philoſophorum & Medicorum ſcripta, totque obſervationum ſcriptorum vaſta volumina. Huc pertinet inprimis infans Londinenſis, d. 28. Maii anni 1715. in lucem editus, qui imaginem eclipſeos ſolis magnæ, ut novellæ publicæ ferebant, in fronte exhibebat, poſtquam mater d. 3. eiusdem menſis eclipſin magnam ſolis, pro inepta vulgi opinione ac ſuperſtitioſa credulitate, tanquam ſignum triſte quid portendens, ac, inauſpicato influxu, multa mala & calamitates poſt ſe trahens, attonita conſpexiſſet. Sic matrem incendio territam faciem fœtus rubore igneo tinxiſſe ex *M. Marci* & *Helmontio* refert Cl. *Rivinus de Spir. Hom. Vital. C. III. §. 16.* Laudatus ſæpe *Pechlinus* Paſtorem vidit, cuius toto pectore & vultu ſparſæ rubræ ſtriatæque maculæ, ignis flammantis inſtar, miram conciliabant fœditatem; territa ad conſpectum furentis incendii gravida matre, & pectus viſumque manibus demulcente. Huiusque viri conſpectus alii gravidæ horrorem incuſſerat, qui idem etiam in infantem, ſed debilioribus notis minusque diſtinctis, tranſiverat. *L. III. Obſ. XV. p. 430.* Eidem nota fuit fœmina Gallica, cui in dentium doloribus, chirurgus

Nævi & figuræ, in embryonibus expreſſæ.

rurgus, ex errore, ſanum dentem effregerat; quæ proinde, ob ſani dentis iacturam doloremque immenſum, continuo manum maxillæ admovit, tresque inprimis digitos, ad leniendum dolorem, fortius impegit, donec, ſedato nonnihil dolore manum remitteret. Expectavit interim, poſt quatuor menſes, partum, quem iuſto tempore enixa eſt ſanum quidem, ſed nota ideaque trium digitorum impreſſorum in eadem illa mala, qua dolor fuerat, ſignatum; corrupta non leviter oris gratia. *ibid. p. 429.* Mulierem gregem gallinarum Indicarum conſpicientem & exterritam fœtum poſtea peperiſſe facie multis excreſcentiis carnoſis multiformis coloris, galli Indici inſtar, ex *Rouſſæo* memorat *Sennertus l. c.* qui & ipſum ſe meminiſſe refert, fœminam gravidam fœtui, in diverſis corporis partibus, verrucas inſtar mororum per imaginationem affricaſſe. Sic deſiderium intenſius ceraſi, pomi, ſimiliumque fructuum in matre, extuberationes figuram iſtorum fructuum referentes, in fœtu, & in illis quidem partibus, ubi manum confixerat mater, produxiſſe: delectationem ex roſis fœtum roſæ figura ſignaſſe, matris terrorem a mure protuberatione muris quaſi figura expreſſa fœtum notaſſe, & obſervationibus Auctorum & experientia propria exploratum habemus.

Peregrinum ſive toti corpori ſive partibus colorem inducere.

Color iisdem impreſſus.

Exemplum admirandum recenſet Cl. *Schvvammerdam, de Vteri muliebr. fabrica.* de muliere Vltraiectina gravida inopinato Nigritæ vel Aethiopis aſpectu valde exterrita, quæ, quum fœtui in utero de cutis colore hinc timeret, contra fortem imaginationem ab alia æque forti imaginatione remedium petiit, atque domum reverſa corpus

pus totum a capite ad calcem aqua calida probe perluit, plane confidens fœtui in utero omnem nigredinem sic iri detersum, eo effectu & eventu, ut quum pareret, embryonem eniteretur totum candidum, exceptis illis partibus, ad quas aqua, cum mater ablueretur, non pertigerat, quales erant interstitia digitorum in manibus pedibusve, nec non alia quædam corporis loca, ubi manifesta nigredinis indicia & maculæ nigræ apparebant. Hic Giessæ Hassorum puerum, iam duodecennem, quotidie videmus, quem mater gravida, Zingaras ardentius intuens, fusco & obscuro harum colore, vi imaginationis, per totum corporis habitum, tinxit, nullo modo extergendo. *Color Zingaræ embryoni impressus.*

Plura exempla imaginationis matris, vario & mirabili modo, efficaciter in fœtum operantis qui nosse desiderat, evolvat *Thom. Fienum, de virib. Imaginat. Schenckii Observationes, Gasp. a Reies Franci Elys. iucundar. Quæstion. Camp. Quæst. L. Stalpart. van der Wiel Observ. rar. Cent. poster. Part. prior. Observ. XXXV. & XXXVI. Illustr. Io. Maur. Hoffmanni Disq. corpor. hum. Anatomico-Patholog. specim. X. Excell. Archiatri Regii, Dn. D. Steigerthal Differt. sub Præsidio B. Fried. Schraderi Helmstadii quondam habitam, de imaginat. matern. in fœtum efficacia.*

Exinde vero nullo negotio perspicitur, quantum intersit, ut, tum Medici, salutaribus monitis, hac in re, gravidis, tum gravidæ sibi ipsis, & fœtibus, temperantia, moderata victus ratione, tranquillitate & constantia animi, verbo, recte servato mentis & corporis æquilibrio, tum Magistratus quoque rerum publicarum, publicis ordinationibus, iisdem prospiciant; ut liberos gignant mente & corpore sanos. Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat, intra quæ gravida est. Quam levi enim, de causa, ob fœminæ mollitiem & deiectum animum non solum maxima deformitas fœtui induci, sed & ille sæpe, eo ipso, internecioni da- *Officium Medici, gravidæ, & Magistratus.*

ri possit, ex hactenus dictis in aperto est. Non sine ratione existimat *Licetus, de perf. homin. const. in uter. & de monstr. L. II. c. 66.* aliquando ex vehementi in somno apprehensione non tantum has fœtuum impressiones, sed monstrositates quoque contingere: propterea aliquando, etiam inscia prægnante, accidere; quod similia spectra nunquam antea in mente habuerit: unde quia chimærica multa in somno obversantur, nullum, ait, extare tam horribile ac multiforme monstrum, cui imaginationis vis causam dare non possit: cum mater post congressum, toto conceptionis & efformationis tempore, apprehensæ rei impressionem in fœtu excudere possit. Eo magis hoc ipsum fieri potest, si phantasia matris obiectis deformibus & monstrosis, subito & cum terrore, excitatur. *Maiori*, inquit ὁ πάνυ *Bartholinus*, *periculo prægnantium occurrunt, in plateis locisque publicis, mendicantes vel morbo sacro concidentes vel membris mutili. Vtinam his provideretur in rebus publicis, ne publice oberrando inficerent mortale genus. Act. Hafniens. Vol. II. Obs. I.* Quid terror ex mutilis effecerit, supra vidimus. De epilepsia exemplum proponit *Cl. Pechlinus, loc. cit. Fœminam hic novi*, inquit, *valde epilepticam & quotidie cum paroxysmis conflictantem, attamen omnes, quos parit liberos, integros miramur & sine ulla morbi istius nota. At contra alia fœmina, affinis & domestica eius, firma ipsa alias & bona valetudine, quotidiano, credo, spectaculo commota & dolens, quos gignit liberos, morbo isto afflictos & misere habitos videre debet.* Frequentem conversationem prægnantium cum hominibus formosis aut deformibus, & crebrum contuitum in picturas formosas aut deformes formam fœtus mutare antiquis temporibus iam pervulgatum fuit: iccirco Dionysius Tyrannus, cum, propterea quod deformior esset, prolem nollet sibi similem gignere, in

Epilepsia imaginatione matris in fœtum translata.

Pictura formosa in cubiculis prægnantium suspendenda.

in cubiculo suspendit picturam formosam, ut eam potius, quam mariti vultum, uxor in animo haberet: quod ex *Sorano* & *Augustino* refert *Vossius. Theol. Gentil. L. III. C. XXII.*

Deinde id quoque diligenti Naturæ scrutatorum observatione constat: raro ante medium gestationis tempus notas & nævos illos in fœtum transire, positis licet causis in actu causandi, sed plerumque a medio illo tempore ad ipsum partum: quamvis in illis, quibus membra plane disturbantur, confunduntur, abolentur, etiam ante tempus illud impressio plerumque accidat. *Borrichii* illa gravida, aspectu mutili exterrita, mutilum pariens, nondum quatuor gestationis, cum impressionem pateretur, habebat menses. Sicut & in aliis hoc observare licebit. In illis quoque, ubi tota figuratio corporis, compositio membrorum, conformatio & qualitas lineamentorum insigniter mutantur, matris phantasiam continuam quasi, ante illud tempus, certo modo & successive efficacem fuisse negari facile nequit. *Raro ante medium gestationis tempus notæ in fœtum transeunt.*

Miranda sane hæc sunt omnia: quod si tamen mentis illud in corpus, in illa idearum immaterialium, materialium, & partium per nervos connexarum conspiratione, imperium, atque funiculorum nerveorum, fluido subtili intensorum, ab agitationibus principii nervorum configurativis, sive ideis materialibus, quæ immaterialibus, determinato modo, respondent, excitatos & ad partes diversas, pro diversis ideis immaterialibus sive animæ repræsentationibus, directos certos ac determinatos motus, quibus partes certo modo tenduntur, stringuntur, torquentur, vasaque, partibus interiecta, comprimuntur, accurate expendamus, causas eorum, si non omnium, plu- *Ratio mirandorum horum effectuum quomodo invenienda.*

 rimo-

rimorum tamen, invenire adeo non erit impoſſibile, ut pleræque in promtu ſint.

Quomodo vis imaginationis in proprio quorundam corpore hac ratione efficaciam exerat,& qua ratione,directo ad ipſarum matrum partes determinato nervorum motu, in illas, ſine dubio, operetur & impetum faciat, ſed duriori textura tonoque fortiori repulſa ſignaturas in illis exprimere nequeat, paulo ante oſtendi. Quo pacto vero ad easdem embryonis partes, teneras & molliores, eoque, quo reſiſtere poſſet, fibrarum robore nondum præditas, dirigatur, id plenius hic eſt dandum, neque enim ita perſpicuum eſt.

Harmonia matris & fœtus negari nequit.

Arcanam eſſe utriusque corporis, matris & fœtus, harmoniam & coniuratam affinitatem unamque animam ſenſitivam, utrumque iisdem prorſus ſenſationibus affici, ita, ut qui uni ex partibus ſic mutuo devinctis & potiori accidunt ſenſus vehementiores, in alteram quoque redundent, easdemque fere impreſſiones & pathemata, quæ in mente matris occaſione motuum corporis excitantur, in fœtu quoque ſimilium motuum occaſione excitari, recte exiſtimant ſaniores ex recentioribus Philoſophi; cum occaſione impreſſionum obiectorum in organa, & commotionum fibrillarum medullarium cerebri, variæ mentis agitationes, omnium conſenſu, exoriantur, nec unquam ſenſus corporei ſine veris ſenſationibus realibusque mentis perceptionibus excitentur: *Malebranch. l. c. p. 99.* Sed unde illa motuum corporeorum & ſenſationum in matre & fœtu harmonia, & in quo conſiſtit? id enim potiſſimum in quæſtione eſt. Hanc ego in *æquali aut proportionata tenſione, tono, habilitate ad motus partium ſolidarum, æquabilique mixtione, temperie, mobilitate, & motu fluidarum matris & fœtus quærendam eſſe exiſtimaverim.*

In quo conſiſtat.

Ex

Ex ista enim æquabili partium constitutione motuum exoritur conspiratio, efficiturque, ut motus determinati, configurativi, a phantasia matris, pro idearum illa conspiratione, excitati & ad certas partes, determinato modo, directi, in illa connexione & communione partium matris & fœtus, ad fœtum, sub simili motuum configuratione, fluidis certo modo impulsis & incitatis, solidis æque tensis consonantibus certoque modo contremiscentibus, transferantur, eædemque proin ideæ materiales in fœtus cerebro producantur, quibus tum immateriales conformes in anima, tum motiones, tensiones, constrictiones ideæ isti materiali configuratæ convenientes, in certis corporis partibus, respondent. *Quomodo procedat.*

Tensas esse humani corporis partes, nervorum speciatim reticula per illas expansa, negari nequit: cum bona dispositio ipsarum, integritas æque ac functiones a congrua tensione dependere evidentissimum sit, ita ut, quum ea excidunt, non possint non, pro diverso relaxationis gradu, & sensus & motus aliæque actiones, nutritio, secretiones &c. lædi & perverti. Quid quod corpus animale citharam esse nervis suis, ut fidibus, constantem iam dudum pulchre & apposite prudentiores observarint; quemadmodum ex Ill. *Verulamio*, *de Augm. Scient. L. IV. C. II.* supra *p. 46. seqq.* ostendi. Aequalem vero aut proportionatam utrinque, in matris pariter ac fœtus partibus, regulariter esse tensionem, inde clarissimum est, quod τὰ ἐνορμῶντα, sanguis & liquidum nerveum, a quibus est & oritur, utrique sunt communia & eadem fere, eiusdem qualitatis, habilitatis activæ, consistentiæ, & quod convenienti etiam quantitate eodemque vel proportionato impulsu utrobique aguntur *. Iam, cui non *Partes humani corporis tensæ sunt.* *Aequalis est aut proportionata tensio in matre & fœtu.*

 nota

* Non equidem ea mihi animo sedet sententia, quod fœ-

Corpora aequaliter tensa sunt harmonica.

nota est illa, inter corpora æque tensa, sympathica, per motum communi cuidam circumfluenti, subinterfluenti, partesque utrinque pervadenti, expandenti & tendenti fluido impressum ac modificatum, (quem *Verulamius, de variis motion. gener.* eleganter & accurate in pertransitivum, configurativum & prædominantem distinguit) harmonia, qua, cum unum percutitur, movetur & alterum; quam inprimis occasione scyphi vitrei per certum humanæ vocis sonum fracti, exemplo chordarum æque tensarum, tympanorum, scyphorum vitreorum aqua infusa ad consonantiam redactorum, aliorumque corporum solidiorum, unius percussione arcana harmonia conspirantium, fuse non minus quam solide, explicuit & illustravit doctissimus *Morhofius*, in allegato modo tractatu, varia pariter ac vera eruditione refertissimo.

Quin

Non transfertur sanguis matris immediate in fœtum.

tus in utero sanguinem matris & succos vitales, nullo intercedente medio, per anastomoses vasorum uterinorum cum umbilicalibus, hauriat. Quin potius, detecta *membrana succosa Ruyschiana*, eandem satis superque confutatam existimo. Illud tamen verissimum est, portionem sanguinis materni delibatam, defæcatam, partibus subtilibus actuosis, sic dictis spirituosis, plenam in & per membranam succosam, partium nervosarum uteri vivida intensione, elatere, ac motu, impelli, transprimi, secerni, decerpi atque fœtui communicari, ac partibus ipsius solidis vividum vigorem naturalemque tensionem inducere, & ita temperiem in fœtu regulariter temperiem matris sequi. Hinc illa communio; ut, quando fluida æque ac solida matris crasin peculiarem, characterem vel labem quandam ac dyscrasiam concepere, in fœtum in utero contentum sicut etiam in infantem adultiorem ab uberibus pendentem, transmittantur hæc bona vel mala, æque ac aliorum morborum semina, quibus sanguis matris refertus est; quod inprimis illustrat *Miscell. s. Ephem. N. C. D. I. A. I. Observatio LX.* de fœtu in utero croco

tincto

Quin ſpecialem eſſe cuilibet fere corporis parti tenſionem, peculiaris cuiusque ſtructura & actio innuit; idque exinde quoque perſpici poteſt, quod certis motibus corporum ſonorum tremulis certæ corporis partes, quæ eorum tenſioni reſpondent, moveantur atque ſubſultent: Ita *Claudius Perraultius, Libr. de Sono, P. I c. 4.* & ex eo *Morhofius, l. c. p. 81.* obſervavit, ſonos tympani, tubæ aut chordarum panduræ maioris ipſum non nunquam pectus percutere,

Pars qualibet ſingularem habet tenſionem.

---

tincto, quod mater cibis croco infectis atque tinctis uſa fuerat, repetitis experimentis confirmata. Quemadmodum plurimæ aliæ obſervationes, de variolis, lue venerea, ictero atque ſimilibus a matre in fœtum utero contentum translatis, id quoque apertiſſime demonſtrant Quamvis enim hoc non perpetuum videatur atque exempla proſtent, ubi mala illa, pro varietate circumſtantiarum ac diverſo malignitatis gradu, non ſub illo accurate ſchemate in fœtu ac in matre apparuere: ſanguinem tamen atque ſerum eſſe in illis caſibus infectum quivis facile colligere & obſervare poterit. Hinc etiam ratio manifeſtiſſima deducitur morborum hereditariorum. Eoque minus negotii mihi faceſſit *Franciſci Bayle, de Phyſiogn. Diſſert. Phyſ. III.* obiectio. *Quod ſcilicet fœtus ſæpe matri diſſimiles ſint temperamento &c. & nihilominus a matris pathematis, non ſecus ac ſi ſimiles eſſent afficiantur.* Vtrumque enim adhuc in quæſtione eſt. Et licet conceſſerim, quod a concurſu quarundam peculiarium in fœtu cauſarum, vel etiam a læſione violenta, tanta in partibus fœtus ſolidis & fluidis mutatio ſæpe fiat, quæ, in illis magnam debilitatem & atoniam, in his vero haud minorem dyſcraſiam in mortem tandem, ſalva matris temperie & diſpoſitione, deſinentem, producat. Vix tamen unquam tanta mutatio fiet, quin maneat ſemper fundamentalis ille & aliqualis temperamenti ac tenſionis partium character. Quod ſi tamen hic ſit plane ſublatus; num, hoc in caſu, fœtus a matris pathematis, non ſecus ac ſi ſimilis eſſet tono ac temperamento, afficiatur, de eo valde dubito, nec erat hoc ſumendum, ſed liquido probandum.

Fœtus num matri temperamento ſæpe diſſimilis.

cutere, neque tamen omnes tonos, ſed illos tantum, qui conformes ſunt tono ac tenſioni diaphragmatis; quemadmodum ob æqualem & conſonantem tenſionem, in Equite illo Vaſcone, phormingis ſonus veſicam ſtatim ad urinam reddendam vellicabat: vid. *Scaliger. Exercitat. 134. l. 6. p. 230.* conf. *Miſc. N. C. A. 1. Obſ. 134. Excell. Zvvinger. Diſſ. de Antipath. p. 27.* qui Illuſtrem quendam Dominum, ad Lyræ vulgaris ſonum, quocunque tempore excitatum, ſtatim urinam reddere coactum fuiſſe, nec ulla etiam vi illam retinere potuiſſe, memorat. Ita *Boylii* ſervo ob æqualem aut proportionatam membranæ [aurium & tympani cum membrana gingivas inveſtiente tenſionem, quoties cultros cote acuebat, ingratus ſtridor gingivas cruentabat, apud *Bartholin. C. IV. Ep. 152.*

Vrina phormingis & lyræ ſono provocata.

Ergo, cum magna hominis naturæ cum harmonia conſenſio ſit, & quod ſuprà *p. 57.* monui, omnis noſtra ſenſatio quaſi in motu harmonico conſiſtat, quid mirum, ſi quando, ad impreſſiones vehementiores cum animi extraordinario motu, fibrillæ ſenſiles in matris cerebro concutiuntur, ſimilis in fibrillis cerebri embryonis, æque aut proportionate tenſis, impreſſio oriatur, atque hinc nervorum motus ad certas partes, de quibus phantaſia ſolicita eſt, & quibus metuit, aut quo manus fricatione invitantur, tam in matre, quam in fœtu dirigantur, tendant, impetum faciant? Vt hac ratione corpus matris & embryonis ſe fere habeant ut duo horologia pendula, quæ motus ſuos pariter iisdemque momentis exercent, quo ſimili alias, ad explicandum modum, quo voluntas corpori imperat, ex hypotheſi *Harmoniæ præſtabilitæ* magni *Leibnitii, l. Iaquelotus, de Fid. & Rat. conſenſ.* utitur. vid. *Act. Eruditor. Lipſ. A. MDCCV. Menſ. Decembr. p. 553.* Et licet ſolidiori partium matris textura atque tenſione im-

Quomodo phantaſia matris in embryonem agat?

pulſus

pulsus repellatur, in embryonis tamen partibus eo magis efficaciam suam exerit, quo magis illæ sunt tenellæ & molliores, quam ut vehementem impressionem non possint recipere; inprimis cum non cerebrum solum, sed & reliquæ matris & fœtus partes, ob æqualem & proportionatum influentium motum, harmonice conspirent & contremiscant, atque ita impetus a partibus matris in easdem teneriores fœtus partes, vi dictæ harmoniæ, transferatur, & impetum a cerebro embryonis venientem augeat *.

(*) Hanc meam sententiam, nullibi antea mihi lectam, Dissertatione publica iam proposueram, cum paulo post inciderem in *Francisci Bayle Dissert. Physicas*, ubi *Dissert. III. de stupendis imaginationis effectibus* agit, & occasione mulieris *Burdigalensis*, a mensibus 5 aut 6 gravidæ, atque simia tum primum visa adeo exterritæ & perculsæ, ut per triduum integrum non potuerit ab illius animalis cogitatione mentem avertere, fœtumque proinde simiæ in plurimis similem parientis, quæstionem proponit: qua ratione possit fortis de simia imaginatio excitare in muliere gravida ea pathemata, vi quorum fœtus, quem in utero gerit, exteriorem humani corporis figuram mutet in formam simiæ, aut ipsi admodum affinem?

Hic, postquam sententiam suam exposuisset: scilicet gravidarum pathemata, humores commovendo, sanguinem ac permistos eidem succos varie alterare, eosque aptos reddere ad eadem pathemata fovenda aut de novo excitanda: ac proinde fœtui suppeditari alimenta, unde humores generentur, qui in ipso excitant pathemata similia: sicque, perturbato spirituum motu, posse cerebri structuram insigniter mutari, & quia ipsum præest alimenti in artus distributioni, externam artuum & totius corporis structuram convenientem, prægressis affectionibus, perverti, præcipue ubi tenera est ipsorum substantia & in omnes figuras facile ductilis: & postquam eandem, neque hypothesibus satis intelligibilibus declaratam, neque indubitata experientia aut congruentibus exemplis sufficienter corrobo- *Franc. Bayle de his impressionibus sententia.*

Ratio plurimorum effectuum facile inde derivari potest. Inde omnium supra recensitorum effectuum rationem derivare in proclivi est, modo harmoniam illam sæpius inculcatam, idearumque & motuum determinatorum, configuratorum in partibus, nec non modo expositam matris & fœtus sensationum conspirationem teneamus; qua patescit, posse istos impulsus a mente exagitata ac solicita imaginatione occupata excitatos, promta illius quasi directione, cum in matre, tum in fœtu, huc vel illuc flecti & ad determinatas partes converti, nec non in partibus tenerioribus varios effectus constrictionis, compressionis, tensionis, configurationis, disruptionis, confusionis &c. producere.

Cur iuvenis Parisiensis crurifragium in utera passus mentis fuerit impos? Hinc etiam apparet, cur iuvenis ille, in Nosodochio Parisiensi, præter crurifragium, simul rationis deliquium fuerit passus? cerebrum enim, tum temporis molle, delicatum, illo vehementi motu, & impressione, a matre in id ipsum

ratam, diversisque falsis illationibus innixam, multisque aliis difficultatibus gravissimis impeditam probare Lectori sustinuisset; non arridere sibi dicit eorum sententiam, qui ex eo solum, quod fœtus in utero matris concludatur, & cum ipsa per vasa umbilicalia connexus unum veluti corpus constituat, affirmant, nullam excitari in matre imaginationem, nulla animi pathemata, quin starim simile quid fœtus experiatur. Neque illam, quæ hanc specialius ac dilucidius exponit, matrem & fœtum in utero contentum se habere ad invicem, ut se habent duæ chordæ citharæ ad unisonum intensæ, quarum si altera pulsetur, altera statim eundem sonum æqualiter acutum aut gravem edat. *Hac sententia nostram non evertit.* Verum cum nullam dissensus sui rationem addat; nec rationem hanc, prout eandem iam deduxi, secundum agendi modum & omnes quæ circumstant conditiones, propriæ hypotheseos amore & præsumta semel opinione impeditus, sufficienter expendisse videatur, non satis causæ esse existimavi, quamobrem ab exposita, experientiæ testimonio & rationum momentis fundata, sententia me dimoveri paterer.

ipſum derivata, miſere diſtorquebatur, ut poſtea ad functionem ſuam rite exequendam ineptum eſſet.

Neque adeo arduum fuerit, rationem hinc expedire, qua, in exemplis Illuſtr. *Schræckii*, ingens illa appetentia piſcis, a matribus, ex indignatione & pudore, cohibita & repreſſa, atque ſimul aphonia, in illa indignabunda taciturnitate, in ipſos fœtus fuerit translata. Quod enim ad appetentiam attinet; illud ſatis ex dictis pateſcit, ideam immaterialem ſive repræſentationem piſcis delectabilem in anima matrum, per ſenſum externum excitatam, quæ ardentem cupiditatem accendebat, ideam ſimul materialem ſive motum & concentum in cerebro matrum vehementiorem, & ſimul, per connexionem nervorum, incitationes ac vibrationes contremiſcentes fibrillarum nervoſarum efficaciores in organis appetitus produxiſſe, ut ſic, conſpirantibus motibus organorum atque ideis, appetentia eo intentior fuerit reddida. Iſtæ ideæ & motus determinati, etiam in fœtuum tum cerebro, tum anima, tum organis, ſecundum illam ſympathicam matris cum fœtu harmoniam, fuerunt expreſſæ & impreſſi; & quidem, pro partium teneritate validius & altius: quo ipſo fibris, ultra modum intenſis & agitatis, ea diſpoſitio fuit inducta, ut ad ſimiles configuratos motus ſimilemque concentum habiliores & magis aptæ fuerint, ita ut etiam poſt nativitatem, excitata in iſtis ſubiectis, per ſimile obiectum, ſimili idea, fibræ cerebri & partium in utero iam diſpoſitæ & habiliores factæ motu illo configurato fortius potuerint affici vibrari & hinc, correſpondentibus motibus & ideis, flagrantior appetentia exoriri. Cumque ex iſta matrum idea delectabili cum deſiderio ardenti, alia triſtis & indignabunda cum intentione pertinaci ſervandi ſilentii prognata fuerit, ab eadem tanquam cauſa dependens; qua nervi organis

Ratio qua appetentia piſcis cum aphonia in fœtus fuerit derivata.

ganis vocis inservientes, speciatim, sic dicti, recurrentes, dum animi intentioni, ex lege harmoniæ mentis & corporis, responderunt, nimis adstricti, rigidique & immobiles quasi facti: hæc quoque in fœtum, secundum illum causarum ordinem, fuit propagata. Quemadmodum vero in matribus, si appetentia fuisset expleta, prior illa idea, quæ desiderium, tum in iis ipsis, tum in fœtibus, suo modo, accendebat, remota, & ex consequenti, altera quoque indignabunda, ex illa dependens, pertinacis silentii causa, sublata, atque nervis in matre ex illa parte restitutis & officio suo denuo fungentibus, nervi in fœtu consonantes mobilitati restituti fuissent: ita quum nati postea appetitum altius impressum sedassent, cessabant ideæ priores, quæ appetentiam producebant, & hinc etiam posteriores ab his dependentes, & ita cessante causa cessabat effectus, nervique vocis in integrum restituti ad officium redibant.

Cur ante medium gestat. tempus, rarius eiusmodi signaturæ imprimantur.

Hinc quoque sponte fluit ratio, cur ante medium gestationis tempus, positis licet causis, in actu etiam causandi, rarius nævos, figuras & signaturas admittant embryonum corpora: cum ob fibrarum mollitiem ac diffluentem fere corporis habitum, & ad requisitam tensionem & consequenter ad motus sensationum harmonicos apte recipiendos minus idonea sint.

Cur ante illud tempus factæ impressiones membra confundant & quasi tollant?

Quando in quibusdam gravidis, quæ ad animi exagitationes, præ aliis proclives sunt, accidit, ut paulo ante illud tempus, oblato deformi obiecto, exterreantur & graviori sensu concutiantur, facile fieri solet, ut tensis iam quodammodo fibris, mollissimis tamen adhuc & valde tenellis, vehementi impulsu, notæ profundiores inprimantur, vel, pro re nata, tota ipsarum conformatio & nexus disturbetur, ut partes ita periisse videantur.

Quam-

Quamvis etiam in figurarum expreſſionibus & delineationibus iſtis, nec non coloris adſperſione aliquid, reperiatur quod humano ingenio impenetrabile & imperſcrutabile poſſit videri: attamen, ſi probe expendamus. (α) omnes illas vehementiores impreſſiones non fieri ſine agitationibus & affectibus vehementioribus animæ (β) agitationibus mentis certum habitum induci corpori: cum ut recte monet Cl. *Franciſc. Bayle*, *Diſſ. Phyſic. III. Art. VI. §. III. nulla ſit pars corporis, quæ, propter connexionem cum reliquis, & præcipue, quia per nervos cum cerebro communicat, non obeat aliquas motiones in quopiam pathemate, quæ ordinantur ad finem, cuius gratia eiusmodi pathemati auctor naturæ abnoxium facit hominem, aut quodcunque aliud animal.* (γ) omnem animæ agitationem & affectum ſuum quemque a natura habere vultum, ita ſonare, ut a motu animi quæque ſunt impulſa, *confer. ſupra pag. 65.* &, quod inprimis inculcat Cl. *Bayle. l. c.* faciem ſemper aliquam mutationem ſubire, quodcunque excitetur pathema: *quodſi* enim, inquit, *fuerit vehementius, his aut illis muſculis validius contractis, tota faciei conformatio mutatur adeoque fit a ſe ipſa diverſa, ut aliquando alium putes eum, qui talia patitur. Reliquæ corporis partes in quovis pathemate moventur aut quieſcunt vi ſtructuræ ipſarum, ut pathematis uſus poſtulat & corporis conſervationi congruit. Ea de cauſa ad primum pathematum impetum, nobis etiam invitis, aliquando totum corpus erigitur, diſponiturque aut ad reſiſtendum aut ad inſiliendum; aliquando brachiorum tantum, aliquando crurum quædam fiunt motiones, inflexiones, præter plurima alia, quæ ob vehementiam pathematum ex accidenti contingunt, ut vomitus, fæcum deiectio &c.* (δ) ideas materiales, immateriales, & motus convenientes, aut incitationes ad motum in partibus eſſe ſimul, *conf. ſupra p. 51.* & hinc (ε) homines & animalia,

Imperſcrutabilia hic viſa non plane imperſcrutabilia.

quæ idoneam habent corporis diſpoſitionem, ad ea facile excitari, quæ coram ipſis ab aliis geruntur: excitatis enim, ideis, conſpirant corporis membra, & facillime, in diſpoſitis, motibus ſecundum ideam configuratis incitantur. Legi hic merentur, quæ laudatus *Franc. Bayle*, *l. c.* huc contulit. *Dum iuniores* inquit *iumentorum pulli laſciviunt, huc illuc excurrunt, ſaltantque, qui de novo accedunt pulli, quæcunque viderint ſtatim imitantur, iuniores inquam pulli illa imitantur non equi ſeniores:* quippe minus diſpoſiti. *Homines, ſi viderint quempiam oſcitantem, ad oſcitationem ſtatim ſe componunt, & tanta eſt aliquando incitationis vis, ut ſe continere non poſſint, quin os diducant, & oſcitent.* Excitatis enim ſimilibus ideis, ſimiles ſequuntur partium motus. *Hoc familiare eſt viris otioſis, negligentibus & non ſerio occupatis. Quoties aliquem audiunt modulantem quicunque facile canunt, ſtatim ſentiunt ſe ad cantum ſtimulari, ut vix aliquando poſſint a cantu abſtinere. Experitur quisque, quoties attente alium conſiderat magnis artuum conatibus aliquid molientem, aut quocunque corporis geſtu ſenſa animi exprimentem, experitur inquam quandam propenſionem ad corpus modo omnino ſimili componendum, cogente videlicet corporis diſpoſitione ad illos motus geſtusque imitandos, ad eosdem intuitus, ad eandem faciei compoſitionem.*

Experientia quotidiana adhuc docet, ſimili corporis ſtructura & diſpoſitione accidere, ut ſtatim homines fiant participes gaudii, triſtitiæ, & aliorum fere pathematum, quæ in iis obſervant, quibuscum converſantur. Vix poſſit aliquis ſeu amicum, ſeu quemvis alium, anxium, ſollicitum, triſtem alloqui, & in eius vultu mæſtitiæ ſigna intueri, quin ſtatim ſentiat, ſe minus quam antea lætum, aut ad lætitiam pronum, quin brevi mora advertat, ſe quadam anxietate torqueri: quin vultus mæſtus appareat, oculi languidi: aſpectus triſtis: quin aliquando lachrymæ

chrymæ profluant : iis aliquando, tanta est vis structuræ corporis, ut frustra ratio obsistat. Vix tibi licet cum homine, seu propter optimum corporis statum, seu propter faustum aliquem rerum eventum, lætitia exultante colloqui, quin fias lætitiæ particeps, & cum vultu sereno & hilari ab ipso recedas, nisi magna aliqua, quæ te angit, mœstitiæ causa obstiterit. Quæ de tristitia & lætitia mox dixi de aliis pathematis, servata proportione, debent intelligi. Circa quæ advertendum est, ut iam notavi, requiri convenientem corporis dispositionem, seu naturalis & congenita ea sit, seu quocunque modo adventitia, alioquin contrarius effectus erit expectandus. Hinc fit. ut nihil sit acerbius, nihil intolerabilius, quam musica in luctu, ut quicunque melancholici & tristes, aut ad tristitiam proni, ægre ferant, quæ aliis accidunt fausta & prospera. Turbantur enim sic ideæ, quibus indulgere, in illo statu, gratum est, ab aliis ideis minus convenientibus & minus conformibus, non sine violentia; quod animæ est adversum. (ζ) Matrem non minus ac quemvis alium hominem aut quodvis animal, ideam alicuius rei vel alius hominis, animalis, quam considerat, desiderat, horret, firmiori & constantiori repræsentatione altius animæ infixam sibi expressius sistere, eoque ipso, dum conspirant ideæ, extantiores ideas materiales in cerebro exprimere, atque consentientibus membris per nervos connexis, secundum illam ideam membra concitare & ad motus componere, ita ac si figuram illam membrorum motibus exprimere & designare possint ac velint.

Quodsi inquam, ad hæc recte attendamus, aliquo modo ad minimum intelligere licebit, quomodo in ista iam exposita harmonia matris cum fœtu, hic, vel quoad totum corporis habitum, vel quoad certas partes, ad similitudinem rerum cum animæ vehementi agitatione a matre perceptarum possit componi ac, certo modo intensis, pansis, adstrictis, constrictis partibus, formari. Si

Quomodo figura rerum in fœtu excudantur.

Si præterea illud quoque teneamus, animam matris in metu & horrore, de loco quodam corporis, ſecundum ideam vel figuram rei perceptæ determinato, eſſe ſolicitam: aut in magno & ſolicito deſiderio, ubi certis ideis immaterialibus & materialibus ſolicite occupatur, atque ſenſu quodam vel manus fricatione vel alius obiecti ſenſibilis actione, excitato & quidem pro maiori in illa ſolicitudine, partium intenſione & ſenſilitate, exquiſitiori, ex parte quadam afficitur & interpellatur, ſolicitudinem ſuam ſub illa idea ad partem illam dirigere: non adeo difficulter quoque perſpicere licebit, quomodo conſtrictis certo modo, ſecundum ideam materialem, fibris, & quidem in loco certo ſecundum illam ipſam ideam determinato, extuberationes partium proveniant, figura rebus perceptis & mente agitatis aliquo modo ſimiles.

Multa hic fabuloſa traduntur.

Vbi tamen & illud tenendum, reperiri multa circa hanc materiam ab auctoribus annotata, inprimis inter ea quæ de exactiſſimis configurationibus & ſimilitudine figurarum traduntur, fabuloſa, aliqua infra famam, plurima non niſi quoad certas circumſtantias vera, alias falſa deprehenſa, haud pauca omnem fidem excedentia.

Spiritus ideis inſtructi fœtus formationi non præſunt.

Ceterum quod de ſpiritibus ideis ſuis inſtructis vulgo tradunt Auctores, facilius dicitur quam evidenti mentis comprehenſione percipitur aut probatur. Mentem maternam in animam embryonis, occaſione motus utriusque cerebri harmonice tenſi, impreſſiones deferre, adeo non negamus, ut ex modo dictis ſatis clarum hoc eſſe arbitremur:

Anima matris non communicat cum anima fœtus figurandi facultatem.

Eandem vero figurandi facultatem cum fœtus anima communicare, ex hypotheſi, qua anima ipſa ſibi futurum domicilium corporisque habitandi ſupellectilem formare ſupponunt, iis argumentis refellitur, quibus dictam hypotheſin falſam eſſe evicerunt *Peyerus*, *Merycolog. l. 1. c. 5. p. 48.*

48. *Sturmius, Phil. Eclect. T. II. Diss. de Gener. Plant. & Animal. Geuderus, Ep. de Ort. Animal. Diatrib. de Ferment. subiunct.* aliique saniores Philosophiæ Antistites quamplurimi. Et quis, quæso, persuadere sibi poterit, id animam perficere posse, non dicam sine deliberatione, præmeditatione, sed sine omni conscientia? Cur non nisi in anxia commotione id, quicquid hic est virium, exerit? Quis eandem in illa perturbatione ad facultatem illam in actum rite deducendam aptam crederet? Cur non potius, si penes illam staret, deformitates quovis modo impediret, quam produceret? quamvis, quod ex mea quoque sententia apparet, gravidæ, ex sanæ rationis imperio, sibi ab intempestivis animi agitationibus temperando & enormiores, intemperatos nervorum motus præcavendo, compescendo, vel affectibus indulgendo, eosdemque fovendo, plurimum ad impediendum aut promovendum eiusmodi effectum contribuere possint. Quid denique in brutis efficiens horum effectuum causa est? Num & illorum anima facultate tali formatrice, structoria & dispositoria instructa est? Quis credat? Quis credere posset?

In brutis simile quid evenit.

In brutis vero idem evenire, & magnam etiam hic esse vim insignesque effectus imaginationis matrum in fœtus, evidentibus satis observationibus exploratum & compertum habemus. Nolo hic in exemplum producere oves Iacobi Patriarchæ, *Genes. XXX.* Licet enim imaginationem pecudum aliquid efficere hic potuisse, eiusdemque aliquas fuisse partes, negari nequeat; eandem tamen causam tantum fuisse adiuvantem: ac plus in hoc negotio virtuti esse tribuendum divinæ; quæ sub concursu sic debilem adauxit causæ secundæ vim, ut quod sola non posset secundum naturam, id divina benedictione præstaret supra naturam, magno interpretum consensu affirmat

Vossius, de Theol. Gentil. L. III. C. XXII. De columbis tradit *Oppianus*, hac arte procurari posse variis coloribus præditas. Eodem modo pavones variis coloribus depictos haberi posse ait *Fernelius, de hom. procr.* & in Hispania equisones generosos equos procurare, optimos & laudabiles oculis obiiciendo, observat *Rhodiginus antiq. lect. l. 20. c. 15* Ita, qui in Principum aulis equorum curam habent, ut equos adipiscantur maculis pilisque exoptati coloris ornatos, depictos tali ratione equos equarum concipientium oculis opponere, refert *Dav. van de Beck, Amœn. Phys. L. II. p. m. 288.* Inprimis vero hanc vim imaginationis in brutis evidentius comprobarunt vaccarum tempore gestationis mactatarum fœtus, quos, a lanionibus sæpe acceptos, cum inspicerem & dissecarem, non sine admiratione, eundem capitis vitulini locum, quo vacca in capite ictum lethalem exeeperat, sanguine, non secus ac si ipse vitulus immediate percussus fuisset, suffusum, reliquis partibus optime constitutis, & nil quicquam, quod læsum esset, ostendentibus, vidi. Idem ostendit & confirmat scrofa gravida, apud Excell. *Lentilium, Miscell Med. Pract. Part. I. p. 4.* cui quaternos pedes funiculo quodam arcte constrinxerant, unde se expedire conata pedes illic loci attrivit, quæque haut multo post porcellos enixa est characterem attritionis istius in pedibus suis graphice ostendentes.

Vaccarum fœtus ictus, quem mater excepit, in capite effectum ostendunt.

Sed cum a destructo per imaginationem mentis & corporis æquilibrio effectus hosce in homine deduxerim, non sine ratione quæritur, quomodo in brutis, mente destitutis, producantur? Respondeo, mente quidem bruta esse destituta, sed non anima, ut loqui amant, brutorum sive principio vitali sentiendi & movendi potentia instructo, inter quod & corpus organicum simili ratione datur harmonia & æquilibrium. Est scilicet in illis, non secus

Datur etiam æquilibrium in brutis inter principium vitale & corpus organicum.

ac in corpore humano, alternus fluidi nervorum & ſanguinei in partes influxus, quo, cum motus automatici, in muſculis antagoniſtis carentibus, abſolvuntur, tum reliquæ partes æquilibrantur. Eſt in illis principium, quod & impreſſiones obiectorum, intervenientibus nervorum tenſorum vibrationibus, ſentit, & nutu ſuo nervorum motus moderatur, atque, æquilibrium, in illa principii ſentientis & corporis conſpiratione, tollendo, motuum variorum ſpontaneorum cauſa exiſtit. Enim vero imaginantur bruta, ſomniant, (*) nec ab affectibus ſunt immunia. Quidni igitur, ſublato a parte corporis inter nervorum & ſangui-

* Quemadmodum in infantibus, ex eo, quod pavore expergiſcuntur & ſuctum imitantur, ſomnia colligere licet, ita etiam, ex iis, quæ in brutis dormientibus obſervamus, idem inferte nefas non fuerit. Canis dormiens iræ ſubinde indicia prodit. Nec inepte *Lucretius, de Nat. Rerum L. IV.* ex actuoſo brutorum ſomno probare nititur, ſomniare *Bruta etiam ſomniant.*

Non homines ſolum, ſed vero animalia cuncta.
Quippe (inquit) *videbis equos forteis, cum membra iacebunt,*
In ſomnis ſudare tamen ſpirareque ſæpe
Et quaſi de palmis ſummas contendere vireis:
Tunc quaſi carceribus patefactis ſæpe quiete,
Venantumque canes in molli ſæpe quiete.
Iactant crura tamen ſubito, voceſque repente
Mittunt, & crebras redducunt naribus auras,
Vt veſtigia ſi teneant inventa ferarum:
Expergefactique ſequuntur inania ſæpe
Cervorum ſimulacra, fugæ quaſi dedita cernant:
Donec diſcuſſis redeant terroribus ad ſe.
At conſueta domi catulorum blanda propago
Degere, ſæpe levem ex oculis volucremque ſoporem
Diſcutere & corpus de terra concipere inſtant,
Proinde quaſi ignotas facies atque ora tuantur.

guineum fluidum æquali ſive proportionato niſu, vigor principii vitalis obnubilari & æquilibrium inter principium vitale brutorum & eorum corpus immutari poſſet? Apparet hoc in ſomno, temulentia ab ebriaminibus inducta, (cuius rei experimenta ipſe ſæpe cepi) in rabie, aliisque a cerebri corruptione dependentibus ipſorum morbis. Et quidni a parte illius principii nimium exagitati, commoti, exterriti, directo ad partes connexas vehementi impetu, nervorum æqualis illa motuum proportio turbari poſſet? Docet hoc quorundam ob ſtabulum mutatum, ob inſuetam ſolitudinem, triſtitia & inde contracta macies: docet excrementorum præ metu excretio: docet interitus a ſubitaneo & vehementi terrore: docent denique, præter alias plurimas obſervationes, ipſi imaginationis effectus, qui vel ſoli luculentiſſimum argumentum præbent, non eſſe bruta mera automata aut neuroſpaſta, omni ſenſu & cognitione deſtituta, prout ***Anton. le Grand***, *de Carent. ſenſ. & cognit. in brut.* ***I. Darmanſon***, *tr. la Beſte transformé en machine*, poſt Illuſtr. *des Cartes*, (cuius tamen ſententiam non ita crudam fuiſſe, ex diverſis locis in ***Epiſtolis***, ubi mentem ſuam dilucidius expoſuit, probari poteſt) (*) orbi perſuadere ſuſtinuerunt, a ***P. Ignat. Gaſt. Par-***

Bruta non ſunt mera automata.

Carteſius non omnem ſenſum brutis denegat.

(*) *Carteſius* cogitationem brutis, paſſim in ſcriptis ſuis, denegat, vid. inprimis *Epiſt. 54. Tomi I.* item verum ſenſum, (i. e. cum iudicio & reflexa cognitione coniunctum,) veram paſſionem, qualis in nobis eſt, *Epiſt. 2. Tom. II.* Non vero omnem ſenſum, vid. *Epiſt. 67. Tom. I. ad Henricum Morum:* ubi ſuam opinionem non tam crudelem eſſe erga belluas, quam piam erga homines, Pythagoreorum ſuperſtitioni non addictos, quos nempe a criminis ſuſpicione abſolvat, quoties animalia comedunt vel occidunt, contendit. Nec omnem paſſionem aut affectum, vid. *Epiſt. 54. Tom. I.* ubi brutis non ſolum affectus, ſed & vehementiores quam in hominibus

Pardies, dans le Discours de la connoissance des Bestes (*), pro merito excepti & confutati.

Ex his vero, quæ fusius iam declaravi, satis iam patescere arbitror, quomodo, in intimo isto utriusque hominis substantiæ commercio, anima se habeat ad corporis, & corpus ad animæ actiones: quomodo, in exactissima illa harmonia & conspiratione, una alterius actiones vel excitare, incitare, adiuvare, vel præpedire & turbare possit, ideis & motibus continuo & exacte respondentibus. Apparet

Ex dictis perspicitur habitus corporis ad animam, & animæ ad corpus.

bus inesse posse, imo illa passiones suas nobis exprimere dicit; quin varios motus ex passionibus proficiscentes, spei, metus, lætitiæ, iis tribuit. Nec dubitat *Ep. allegata 67.* sequentibus animi sui sensa exponere: *Quamvis autem pro demonstrato habeam probari non posse, aliquam esse in brutis cogitationem: non ideo puto posse demonstrari nullam esse, quia mens nostra illorum corda non pervadit.* Vnde aliquo modo colligere licet, quod ipse sibi hac in parte nondum satisfecerit. Quæ forte causa est, cur hac de re non satis accurate fuerit locutus, nec ea, qua Philosophum decebat, evidentia exposuerit, quid per sensum sine vera cognitione, (qualis nempe in hominibus est,) intellectum velit.

(*) Hunc equidem postea explodere atque Responsionis ad argumenta partis adversæ minus sufficientis accusare, ac pluribus & solidioribus rationibus sententiam novam stabilire sustinuit *Auctor anonymus, de l' Ame des Bétes, ou apres avoir demontré la spiritualité de l' ame de l' homme, l' on explique par la seule machine les actions les plus surprenantes des animaux.* Sed lusit operam nec invenit temere qui applauderent. Quin, ab omnibus fere, hodie deserta iacet hæc opinio. Perspicacissimus *Hugenius*, quando *Cosmotheor. p. 45.* voluptatibus corporis æque ac nos affici bruta contendit, sequentia subnectit: *quicquid contradicant novi quidam philosophi; qui sensum omnem ita auferunt reliquis, præter hominem, animantibus; ut pro meris automatis aut neurospastis ea haberi velint, quorum crudæ crudelique sententiæ, miror, quenquam accedere posse; præsertim cum & voce & verberibus fugiendis & re omni contrarium bestiæ ipsæ significent.*

paret exinde qualem ſolicitior & accuratior æquilibrii huius, ſive virium corporis & animæ ex lege conſociationis & conſpirationis ſe mutuo quaſi cientium & conſpirantium conſideratio utilitatis fructum præbeat, tum in Animi, tum corporis Medicina: in Morali Philoſophia & ſtudio Medico: cum omnia vitam hominis ex utraque parte ſanam a morborum inſultibus tuendi, eandemque ab his labefactatam reſtituendi præcepta & regulæ huc tanquam ad ſcopum tendant: atque proinde in accuratiori perveſtigatione & luculenta per experientiam obſervatione habitus & reſpectus animæ ad corpus & corporis ad animam cardo vertatur tum pathologiæ moralis & medicæ, tum veræ therapiæ, non modo morborum in ſe, ſed & habitus eorundem ad conſtitutionem perſonalem, temperamenta, ætates, ſexus, idioſyncraſias, conſuetudines &c.

Vtilitas huius conſiderationis.

Vita noſtra naturalis mutuo mentis & corporis commercio abſolvitur, eiusque ſtatus a conſtitutione utriusque huius principii pendet, ita ut ſi utrobique actiones æquabiliter procedant, utrique hominis ſubſtantiæ bene ſit. Contra ſi corporis motus a naturali ordine deſciſcant, mens quoque male habeat: & ſi anima variis inquietudinibus, perturbationibus exagitetur, divexetur, defatigetur, varii quoque fiant in corpore præter naturæ ordinem motus, totaque machina langueat, titubet & periclitetur. Hoc enim certo certius eſt, animam, ut in ſe, ad morales actus, ad leve ſæpe obiectum, violentis, vehementioribus, turbulentis fluctibus agitatur, ita labem hanc corpori quoqe affricare; cuius organa vitalia, ad eius ideam, ad turbulentas agitationes, ſimili modo turbulentis & a naturali ordine deſciſcentibus motibus exagitantur & commoventur. Nec ſine gravi ratione *Exc. Stahlius* tranquillitatis animi in ſanitatis negotio maximas eſſe partes contendit, & ut in hac ſumma hominis felici-

tas

tas moralis consistit, sic etiam non minus ab animi agitationibus reliqua fere omnia Physice in corpore humano contingentia, pro ista scilicet intima conspiratione, hactenus exposita, dependere. *de Pass. Anim. corp. human. alter. Thes. III.* Imo debitam animæ tranquillitatem longævitatis parentem esse facile largimur. Interea hoc non minus expeditum est & experientia comprobatum, corporis, cuius fulturis, ut *Plinius* ait, animus sustinetur, labes & vitia animo adspergi & ad depravatæ mentis habitum haud parum contribuere: & hinc in morborum ratione, & causis eorundem pervestigandis, non ad animum solum, sed imprimis etiam ad corpus respiciendum, eiusque ratio habenda.

Cum igitur tota sanitatis (quam ex parte corporis in symmetria corpusculorum & meatuum sive partium solidarum tono & tensione, fluidarum mixtione & crasi moderata, temperata, utrarumque æquilibrio, ut morbum in ametria, consistere veteres Methodici tradiderunt,*) ratio in illa mentis & corporis concordia & æquilibrio, sive ea actionum partium hominis essentialium, se mutuo quasi cientium, harmonia conveniente, qua & actionum corporearum liberum exercitium & mentis animique vigor conservatur, versetur; nulla difficultate perspicitur, illum demum qui rationes, causas, respectus actionum utriusque substantiæ recte perspectos habuerit, quique actiones utrinque intra debitæ æquabilis harmoniæ & conspirationis leges & limites continere, impeditas adiuvare, exsuscitare, minus congruas in ordinem redigere, immoderatas & extravagantes tempestive cohibere, temperare, & ubique pristinam æqualitatem restituere noverit, valetudinem hominis cum ratione tueri, eidem mederi ac veri & excellentis Medici munus explere posse.

Et

* *Thessalus Methodicorum princeps, aliique distinctius sanita-*

Irregulares animæ agitationes sanitatem convellunt.

Et hinc quoque illud clarissimum est, sanitatem non solum in peius mutari per τὰ ἐσθιόμενα καὶ πινόμενα, sed etiam quando ἡ γνώμη νοσέει, verbis *Hippocraticis*; & in eo non solum studium sanitatis consistere, quando non satiamur cibis & integri sumus ad labores; neque ita solum motus actiones, præparationes, secretiones, excretiones promoveri, sed id potissimum hic requiri, ut animum bene compositum rationis imperio permittamus ac ne cedat affectibus caveamus, affectus freno moderemur animique agitationes nimias & vehementiores compescamus, cum, ut ex dictis apparet, nihil magis corporis motus pervertere, transpirationem, quæ omnes reliquas excretiones multum superat & in qua tota sanitatis ratio est*, una cum aliis actionibus secretoriis

tem in symmetria quadam meatuum corporis constituerunt, atque in ametria morbum. Quod dogma ab Asclepiade fluxit, qui, ut antea dictum est, sanitatem in exiguorum meatuum convenientia, & morbum in ametria constituit. Unde metasyncriseos & metaporopœeseos nomen invenit. Itaque Methodici sanitatem quandam symmetriam esse, (quod neque Dogmatici negant) constituerunt, addentes corpusculorum & meatuum, quos ὄγκους καὶ πόρους Græci vocant. Prosp. Alpinus, de Med. Method. L. I. c. VI. p. m. 19.

* *Cum igitur sanitas in quadam symmetria sive moderatione meatuum corporis fuerit a Methodicis constituta, atque ægritudo in eorundem meatuum ametria sive statu immoderato, merito ex hoc collegerunt, duo esse genera morborum sive affectuum curandorum, quippe adstrictum & fluxum sive fluidum. - - Quo fit ut corpus moderate poros cutis ac ceteros alios meatus corporis habens apertos, mediocriterve adstrictos & diffusos, (quod idem est ac si naturaliter transpirabile esse dicatur,) idcirco sanum esse ac recte valere dicimus. Contra vero ubi a contractionis vel diffusionis moderato statu recesserit, e sanitate in morbum delabi atque morbosam exinde constitutionem incipere. Tantum potest ad conservandam sanitatem, corpora probe esse difflabilia ac transpirabilia (quod est habere moderatam meatuum contractionem atque diffusionem seu apertionem,) ut corpora vel etiam humi-*

riis & præparatoriis coërcere atque ſupprimere poſſit, quam animi atque affectuum intempeſtivi motus, quibus, nervis vehementer agitatis, & hinc conſtrictis ubique fibris, totus non ſolum exterior habitus coanguſtatur, ſed reliqua etiam organa ad actiones, a fibrarum iuſta tenſione, tono & elatere pendentes, inepta redduntur. Vnde in methodo quoque medendi nihil magis agendum, quam, ut, præter organorum, ſi læſa ſint, integritatem, illius inprimis æquilibrii legitimam proportionem quovis modo reſtituamus, idque prudenti regimine, pro rei exigentia, & prout cauſa mutati æquilibrii vel in corpore eiusque partibus, fluidis, ſolidis, vel in animo, vel in utroque ſimul reſidet, modo corporis motus per congrua remedia augendo, modo compeſcendo, modo animi agitationes excitando, modo ſopiendo. In methodo vero tuendi ſanitatem nihil conducibilius eſt, quam omni modo eo anniti, ut nihil admittatur, tum a parte animæ, tum a parte corporis, quod huic harmoniæ æquabili & concordi ſive æquilibrio fraudi eſſe poſſit. Et hinc apud eruditos qui utrinque hic peccant, atque aſſidua ſtudiorum contentione & vita ſedentaria æquilibrium hoc deſtruunt, ut lumbis ſedendo, oculis videndo dolentibus, totoque corpore vigiliis fracto & exhauſto, ac animo ſumma applicatione defatigato, ſanitas non leve detrimentum ac noxam (de qua inprimis elegans doctiſſimi *Franci a Franckenavv Diſſert.* quæ *de Noxa ſtudiorum* inſcribitur, legi meretur) capiat, nihil aptius æquilibrium reſtituere ſolet, quam id, ad quod *Muretus Paulo Sacrato* ſuo ſuaſor & impulſor fuit, ut ſcilicet fatiga-

Quid in methodo medendi, & tuendi ſanitatem potiſſimum agendum.

 tionem

da multisque excrementis ſcatentia in morbos, quoad in eodem meatuum naturali ſtatu perſeverant, non delabuntur. vid. fuſius hoc exponentem modo laudatum Proſp. Alpinum *l. c. p. 20. ſeqq. Eo quoque tendit tum* Exper. Sanctorii *tum Cl.* Keilii Medic. Statica.

tionem sedentariam incessus vegetatione discuteret, atque animum ab intentis nimium occupationibus remitteret ac relaxaret ; *Epist. XVII.* ita ad eum scribens : *Peto a te, ut quantum me amas, tantum operæ ac diligentiæ conferas ad valetudinem tuam & confirmandam & conservandam. Hoc ita videris facillime consequi posse, si ad corporis exercitationes aliquid addideris, de exercitationibus animi & ingenii aliquid detraxeris. Neve putes quidquam me tibi suadere quod non satis exploratum habeam, ego quoque idem facere cœpi, mihi insigniter prodesse sentio.* Hinc *Plato in Tim.* contemplationem actione miscendam esse iubet. Nec temere virum prudentem ingenium exercere sine corpore, prudenter observat *Exc. Bergerus de Vita long. p. 51.* Idem etiam *Galenus, L. de sanit. tuend. Cap. XI.* confirmat : *Nos*, inquit, *ægros quot annis non paucos persanavimus solis animi motibus ad debitum motum revocatis.* Itemque *de exerc. parv. pil.* ubi exercitationum omnium eam conducentissimam esse affirmat, quæ non modo corpus fatigare, verum etiam animam oblectare possit *.

Pru-

* *Quare*, sunt verba Cl. *Baglivi*, *cum frequentissime observemus in praxi, curari morbos* post susceptum iter, navigationem, venationem, musicam auditam vel exercitam ; *quod longo remediorum usu consequi nullo modo potuimus, non est id a Medico spernendum, sed investigandum, quare talia exercitationum genera sanare morbos valuissent, & quod casu evenit, novis factis observationibus, in artis præcepta primo, deinde ad usum redigere. Huiusmodi enim rebus veterum bene vivendi norma constabat, & præ ceteris ea, quam vocant diætam Pythagoreorum, singulæ enim diei horæ ita distributæ erant, & victui ita accommodata gymnastice, ut quilibet vel negociosus homo, nihil a negociosa vita detrimenti caperet. Hinc admirabilis illa longævitas, hinc salubris, & athleticus corporis habitus, nec tam frequentes incurabilium morborum series, quales magno artis dedecore hodie divagantur. Spec. trium rel. Libr. de fibr. motr. c. 14.*

Prudentis igitur Medici est, & in morborum causis investigandis & in iis curandis non ad solius corporis, sed ad totius hominis constitutionem & inprimis ad animæ quoque statum respicere. Verissime Cl. *Baglivus, quidam homines*, inquit, *parum aut nihil incommodi percipiunt cum mens nimium abstrahitur, vel ob domesticas curas, vel ob maximas res gerendas, & sustinendas, vel ob graves studiornm exercitationes. Alii contra, vel minimam mentis abstractionem molestissime ferunt, & ob id turbari corporis systema caputque caloribus repleri sibi sentiunt, & si quid diutius animo versaverint, statim labefactatæ digestionis damna pati incipiunt, deinde & alios morbos, qui a chylo prave digesto praveque sanguefacto proveniunt. Felicem Medicum qui hoc bene cognoverit: cognoverit enim veram radicem malorum mesenterii, Hypochondriorum, dentium, fœtoris oris, saporum linguæ depravatorum &c. in iis,* quorum corpus non est æque libratum cum animi viribus ac potentiis; sed inferiorum virium est minusque resistens. *Hac de causa ex gravi mentis abstractione promanat sanitas ærumnosa: causa occasionalis est mentis nimia vis, & imperium in fibras corporis, quæ in eiusmodi casibus sunt levioris resistentiæ. Nec opem aut salutaria remedia Medicus afferre poterit, nisi æger sibimet remedium præstiterit, animique morbo animus ipse erectus ac resistens medelam attulerit. Spec. trium rel. libr. de Fibr. motr. c. 5.* Memini hic viri fervidi animi temperamenti cholerico-sanguinei, qui in Colica spasmodica, quacum, per plures iam annos, conflictatus fuerat, opem medicam a me expetebat. Hic plurimorum experientissimorum Medicorum, non minus ac circumforaneorum, Iudæorum similisque farinæ hominum consiliis fuerat usus, sed frustra. Nec mea consilia multum ipsi constantis solatii afferebant. Præstantissima medicamenta incassum exhibebantur: quod animus minus esset compositus; donec morbi diuturna,

perpeſſione patientius morbum ferre diſceret, atque ſimul ætas increſcens animum paulatim emolliret ut, morbi vis, licet non in totum, in tantum tamen frangeretur.

Vnde *Hippocrates* Medicum in animi moribus, inclinationibus & affectibus cognoſcendis exercitatum eſſe iubet * nec ſine cauſa dolet celeb. *Baglivus, Med. Sol. Canon. L.* remedia ſæpe adhiberi indiſcriminatim nullo ante facto examine, an iracundus ſit æger, an aridus, ſiccus, an mollis & ſucci plenus? an morbis animi laboret, nec ne? quinam ſit elater in ſolidis? quænam acrimonia in liquidis? quod æquilibrium in utrisque? *Felicem ergo*, ſic tandem veriſſime concludit, *Medicum, qui reconditas morborum ſucceſſiones noverit & Abecedarium Naturæ per analogiam loquentis optime didicerit. Qui hæc non habet, noncredat ſe clavem habere curandorum morborum.*

* *Mutationes, ex quibus ad quænam fiant, conſiderandæ. Ex moribus animi induſtria, vel ſi quid inveſtiget, vel cogitet, vel videat, vel dicat, vel aliud quid faciat, velut dolores, iracundiæ, cupiditates, quæ ex caſu accidunt, mentis moleſtiæ, quæ per viſionem aut auditionem contrahuntur, quales corporum affectiones. Molæ quidem in ſeſe attritu, dentium ſtupor oboritur. Iuxta foveam tranſeuntem crurum tremor occupat. Serpens derepente conſpectus, pallorem inducit. Metus, velut pudor, dolor, lætitia, ira, atque reliqua huiusmodi ſic afficiunt. Quod autem in corpore ad actionem pertinet, horum unicuique morem gerit: ſudores, cordis palpitatio, atque id genus facultates. Hippocr. de Humor.*

DE

DE

VENENO CANIS & ANIMALIUM RABIDORUM,

NEC NON,

QUEM ILLUD INFERRE SOLET,

MORBO GRAVISSIMO,

HYDROPHOBIA,

DISQUISITIO PATHOLOGICO-THERAPEUTICA.

PROOEMIVM.

PRout medicamentorum, sic & venenorum rationem & modum agendi ita in abdito delitescere crediderunt ex antiquioribus plurimi, & subsequentibus temporibus Scholastici, ut eundem non unquam inveniri posse, atque omnem, quæ eidem perscrutando impenditur, laborem in cassum cadere, curamque ac solicitudinem inanem esse iudicaverint. Cum enim ex sententia I. C. Scaliger. de Subtil. ad Cardan. Exerc. 218. no. 8. *istæ aque ac similes vires & qualitates* lateant animos temperatos, illudant curiosis, *atque alii persuasum haberent, Philosophiam nihil esse quam* continuam innovationem in antiqua ignorantia : *satius esse existimarunt, si difficilioris evolutionis quæstio occurrat, facili & compendiosa Philosophia se expedire atque absolvere : esse hoc vel illud occultum illisque qualitatibus, quarum ratio reddi nequeat, annumerandum : aut cum illo, ex vulgo Philosopho, Aesopi hero, ita comparatam esse illarum rerum naturam, ut hic vel ille effectus inde proveniat : quam cum latentibus nodis diu & incassum luctari. Neque sane ratio ipsos fugiebat, cur in abstrusis & reconditis rerum naturalium operationibus, pondus rei perhorrescentes, rationes intactas relinquerent. In recepta enim ubique fere Peripateticorum Philosophia, in formis substantialibus & emanantibus earum qualitatibus harumque graduationibus, quibus omnia perstrepebant, parum lucis, parum subsidii deprehendebant, ac probe perspiciebant, ex primarum aut secundarum qualitatum, quantumvis actuoso, concursu occultiores illas actiones derivari nullo modo posse.* vid. Sennertus Instit P. II. S. II. C. IV. p m. 429. *Quamobrem postea perspicaciores recte quidem ad actionem a tota substantia confugiebant; sed ubi clarius dandum aut indagandum erat, quid sit agere tota substantia,*

actutum

actutum desperabundi ad occultarum qualitatum asylum se recipiebant. Quamvis vero, etiam in hodierna Philosophiæ luce, turpe non sit aliquid ignorare, atque consultius sæpe, subsistere iactaque anchora in tacita admiratione paulum acquiescere quam levatis subito velis altum petere & in aëre piscari. Ex eo tamen erectioris indolis Philosophis semper offendiculo fuit qualitatum occultarum nomen, quod, experientia teste, a longis retro temporibus, progressus & augmenta scientiarum multum impedivit, quum illo audito, Philosophi, tanquam phantasmate territi animum, spemque omnem perveniendi unquam ad amabile verum abiecerint. Infelix seculum quod has larvas timet. Neque enim in eo naturæ recessu sepultam esse qualitatum istarum rationem, ut solum nomen terrorem ad desperationem usque nobis incutere debeat, aut segnissima illa anchora hic opus sit, felix recentioris ævi industria abunde patefecit. Plurimum ad inveniendum contulit, qui speravit posse reperiri, *ait* Seneca, *& verissime* Galenus, audendum est, *inquit*, & veritas investiganda, quam etiamsi non assequamur, omnino tamen propius quam nunc sumus ad eam perveniemus. *Atque id ipsum animum nobis addidit, ut, cum haud ita pridem, in terris haud procul hinc dissitis, exitiale canum rabidorum virus, non sine gravissimo damno hominibus & animalibus illato, latius protractum fuerit, ita quidem, ut iussu superiorum, ad ulteriorem propagationem mali nocentissimi avertendam, canes atque feles quasi exstirpandi fuerint, speciminis Academici loco, Veneni canis & animalium rabidorum rationem excutiendam selegerimus. Maximum enim in arte medica momentum in eo situm est, ut morborum causas & earundem agendi modum solerter ac circumspecte expiscemur, ita enim remedia convenientia dextre confidenter & cum fructu poterimus applicare & opponere. Eoque magis perquisitione digna est huius veneni ratio, quo graviora symptomata hominibus inferre solet, ita quidem ut illi in quibus*

ad

ad hydrophiam usque vim suam exercet, vix unquam aut difficilius salvati fuerint, atque nostro ævo adhuc obtineat quod olim cecinit Ovidius de Pont. L. II.

> *Tollere nodosam nescit medicina podagram,*
> *Nec* formidatis *ulla medetur* aquis.

Quod si candido Lectori, in re difficili, non ubique ex asse satisfecerimus, veniam rogamus, eidemque hæc nostra cogitata rectius examinanda proponimus.

§. I.

SI venenum vocamus omne id quod in minori, imo minutissima quantitate, corpus animale insigniter lædit, sive quod exigua mole, in partes tenuissimas resolubili, partes corporis animalis, cum fluidas tum solidas, efficacissima actione & ferocia indomita aggreditur, earundemque concentum & harmoniam vitalem motuumque vitalium ordinem pervertit, vel plane destruit; canis rabidus totus est venenum: utpote cuius saliva, halitus, exspirationes, excrementa, atque omnis substantia, ubi vel minimum ex illis in corpus humanum vel animalium receptum fuerit, tristi experientia teste, maxime perniciosos atque summe malignos effectus inducunt; qui, ubi malum ad intensiorem gradum pervenit, plerumque vix curationem admittunt & celeriter interimunt.

Venenum quid?

Canis rabidus totus venenum.

§. II. Rabies vero in canibus oritur a febre ardente, violenta, quam καῦσον Græci vocarunt, maligna, inflammatoria, in qua, oborto perurente in sanguine calore, cum siti inexplebili & inexhausta, præter alia quæ in ipsis observantur symptomata, difficulter anhelant, aperto ore & spumante linguaque exerta, refrigerium aëris captant: corpus est gracilius, adstrictum, lingua plumbea, aut ex fusco nigricans, oculi demissi & lachrymosi rubent, ardent, vox rauca est & debilis, incedunt cauda demissa, mox segniter

Rabies unde?

Phanomena in cane rabido.

gniter, ut semisopiti, stupidi, mox subito, intempestive, celeriter atque ocyus solito, neque recta semper via, in obvios quosque sine causa insiliunt, mox subito consistunt cum ira furente, a potu abhorrent & omnes humores & aquas, si non semper, ut plurimum tamen expavescunt.

Causa febris. §. III. Causæ huius febris sunt vel flagrantissimi æstus, tempestas siccior diu protracta, defectus potus, victus ex rebus putridis, putrida corruptione resolutis, coacescentibus & hinc acorem & fracedinem penetrabilem, vitiosam contrahentibus, verminosis; putridus sanguis haustus, cibi ferventissimi ingurgitati, aquæ prægelidæ, corpore vel cæli statu vel motu concalescente, affatim potæ & ingestæ; unde inflammationes internæ; vel summa frigora, vel concursus aliarum causarum internarum. Vnde Sirio ardente, & hyeme asperiori, canes & lupos rabie facile instigari veteres Græci memoriæ prodiderunt, prout & ratio id inprimis ostendit. vid. *Forestus Op. p. m. 350.*

Non soli canes, sed & homines & alia animalia rabie corripiuntur. §. IV. Experientia quidem tot celeberr. Medicorum observationibus corroborata compertum habemus, non tantum canes, & qui ad genus caninum referuntur, lupos, vulpes, sed & feles, simias, cercopithecos, gallos gallinaceos, sues, boves, asinos, mulos, equos, camelos, leopardos, leones, ursos, homines, rabiosos factos esse atque exitiale virus, vel morsu vel alia ratione, in alios propagasse. Sunt tamen qui canibus, lupis atque vulpibus illud mali genus non tantum familiarius esse, sed etiam in his solum, sine admisso contagio, nasci, in reliquis vero non nisi interveniente ex istis contagio posse provenire arbitrantur *Galeni* auctoritati confisi *L. VI. de Loc. aff. c. 5.* At vero cum malum illud sive morbus ipse nihil aliud sit, quam febris ardens certis symptomatibus stipata, quæ illam ipsam ab aliis distinguunt, atque dubium non sit, febrem huius indolis,

aut

aut febrilem, ad minimum, diſpoſitionem, tanquam radicem, in homine atque aliis animalibus, ſine recepto contagio canino, oriri poſſe, rationem ſane non videmus, cur, concurrentibus variis cauſis, non item talia ſymptomata, qualia in canina rabie obſervantur, in aliis animalibus ipſoque homine ex eadem radice pullulare queant; idque eo magis, cum primarium illud ſymptoma, quod hydrophobiam vocant, quodque, tanquam rabiei caninæ proprium, eandem a ſimilibus morbis diſtinguere exiſtimant, in hominibus a cauſis internis, aut, ad minimum, ſine contagio canino obortum fuiſſe, obſervationes evidentiſſimæ luculenter oſtendant.

§. V. Citra ullam externam cauſam accedentem hydrophobiam aliquot vicibus obſervavit *Valeſcus de Taranta, de morſu can. rabid.* In muliere febre primum peſtilenti, mox Dyſenteria laborante, obortam, cum tamen ne minima quidem communicati aliunde veneni adeſſet ſuſpicio, tradit ***Petr. Salius Diverſus, L. de affect. particular. c. 19.*** conf. *Codronch. de Hydrophob. L. I. C. 10. p. 86.* In febre maligna, ſine morſu animalis rabidi, ſimilem averſationem liquidorum ſæpe enatam obſervarunt ***Salmuth, Cent. 11. obſerv. 52. Ioſeph. de Aromatariis, de rab. contag. P. II. C. 1. Sanchez. Op. Med. in Obſ. p. 378. Marcell. Donatus Hiſt. med. mirab. L. VI. C. I.*** Viri quadragenarii, temperamenti melancholici, poſt anxietatem præcordialem & reſpirandi difficultatem, hydrophobia correpti, ſine morſu animalis rabidi, exemplum ſiſtit Cl. ***G. A. Mercklini, Miſcell. Acad. Nat. Cur Dec. II. Ann. VI. Obſ. 220.*** Vteri morbis, ſine præcedente contagio, hydrophobiam ſuperveniſſe ***Sennertus*** annotavit ***Medic. Pract. L. IV. p. 277.*** Gravidam ſine manifeſta cauſa hydrophobam factam, ita ut aliquamdiu omne potuum genus mire averſata fuerit, obſervavit ***Excell. Elias Camerarius,***

Hydrophobia ſine morſu, aut cauſa externa.

Diss Taurinens. II. p. 24. Fœminæ hydrophobæ exemplum, ex morſu filiolæ epilepticæ, allegat *Clar. Mead. Anglus, Mechan. rel. de venen.* Aliud exemplum fœminæ, quæ noctu extra urbem relicta, ex terrore ſolitudinis, id mali genus contraxerit, ſiſtit *Platerus Obſ. L. I.* Ita quoque Verderii Dominam in aquæ pariter omniumque liquidorum metum incidiſſe, ex principiis internis, ſine ullo præcedente morſu, ſe vidiſſe teſtatur *Borellus, C. III. Obſ. 38.* In Iuvene 27. annorum, qui ſub vehementi indignatione & excandeſcentia, proprium digitum momorderat, illum affectum enatum vidit *Ioh. Bapt. Scaramuccius, vid. Epiſt. ad Magliabechium, M. N. C Dec. III. A. IX. & X. App. p. 249.* Choleræ eundem ſucceſſiſſe obſervavit *Clar. Adolphi, Ephem. N. C. Cent IX. p. 171.* Inprimis vero huc facit exemplum Iuvenis 15 annorum, in *Eph. N C. Cent. III. Obſ. L.* qui, cum magna aviditate paſtillos farinaceos nimis calidos & quaſi ferventes devoraſſet, & aquam glacialem ſuperbibiſſet, tertia die Hydrophia lethali correptus fuit.

Dubium removetur.

§. VI. Dubius quidem hæret *Cel. Ettmullerus, Op. T. II. p. m. 970.* annon in eiusmodi caſibus aliqualis infectio & inquinamentum ab animali rabido, inſciis ægris, aliquando præceſſerit; inprimis cum tantillum ex ſaliva, halitu, nemine advertente, per media ſæpe, de quibus nulla ſuſpicio eſt, corpus contingens atque in illud ſe inſinuans, malum hoc, ſæpe poſt longum temporis ſpatium, inferat. Attamen cum ſufficiens ratio, ex genuinis principiis, haud difficulter inveniri queat, qua hoc malum, in eiusmodi caſibus, ex cauſis internis oriri poſſit, prout ex infra dicendis appparebit, & ipſe quoque *Galenus* l. c. negare nequeat, *in animantibus corruptionem naſci poſſe adeo vehementem, ut veneni tum qualitatem, tum vires æquet & eiusmodi affectibus nos ſæpe infeſtari*, qui ex nobismet ipſis, accepto ſuæ orginis impetu, ſimi-

les

les ſint iis, qui pernicioſo epoto veneno aut qui a Phalangii &Scorpii ictu eveniunt: cui & *Cælius Aurelianus*, ex Methodicis *l. 3. acut. paſſ. c. 9.* adſtipulatur; non ſatis ſane cauſæ eſt, cur hac in re dubium ſupereſſe poſſit. Et licet *Codronchio*, qui plura ex adductis modo exemplis in dubium vocat, *L. I. de hydroph.* lubentiſſime largiamur, non poſſe in homine gigni venenum caninum ex propriis principiis, cum animalium ſpecies diſtent inter ſe: non tamen exinde colligere licet, non poſſe in homine generari venenum aliquod, cuius, licet caninum non ſit, eædem tamen ſint in agendo vires, quæ canini. Evidenter hoc exinde quoque perſpicitur, quod, haud ita diu, malum hoc hydrophiæ, Schneebergæ Miſniæ, inter infantes epidemicum fuerit, ſine ullo animalis noxii morſu, prout verbis celeb. *Scheuchzeri*, memorant Clariſſimi *Collect. Wratislaviens. Auctores, Tentam. VII. A. 1719. Menſ. Februar. p. 214.* ubi ſequentia ſubnectit experientiſſimus Vir: *Obſervamus etiam in Praxi, dari paſſim melancholicos, licet cæterum exſuccos & ſanguine quaſi aduſto plenos, qui bibere parum, imo ſæpe potum reformidare, vel ſaltem faſtidire ſolent. Exemplum huc quadrat nobilis & proſapia & virtute* Grebelii, *atque maniaci Bibliopolæ* Geſneri, *qui ambo absque animalis rabidi morſu, velut Hydrophobici ſunt mortui.*

§. VII. Illud quoque manifeſta experientia certum exploratumque habemus, id veneni genus, cum a cane rabido, tum aliis animalibus, ipſoque homine facillime & plurimis modis ad alios poſſe transferri, ſive id fiat morſu, ſive unguibus infixis, ſive ſaliva & ſpuma oris adſperſa vel etiam a corporibus, quibus adhæret, iam exſiccatæ exiguis particulis & moleculis per labia & linguam in ſalivam admiſſis & receptis, aut oſculo cani, animali, homini rabioſo dato, vel ab eo recepto, ſive comeſtione carnis, lactis ex animali rabido, ſive læſione ab inſtrumento, quo ani-

Venenum hoc variis modis ab uno ſubiecto in aliud transfertur & propagatur.

animal rabiosum occisum fuit, sive tractatione rerum, quas animal rabidum ore polluit, sive halitu, odore, a tali animali admisso, sive alia etiam ratione, miasmatum quorundam interventu, recepto contagio. Exemplis sunt plena tot virorum experientissimorum volumina. Neque nobis ipsis talia ignota sunt. Inter alia de *Baldo ICto Celeberr.* constat, quod, Tridenti, ex rabientis catelli, quem in deliciis habebat, saliva inferiori labio vix admota, aut etiam, quod alii volunt, accepto simul leviori morsu, post quartum mensem rabie correptus misere interierit, vid. *Heurnius de morb. capit. C. 3.* Recentius exemplum legimus apud *Clar. Ioh. Linder. Exerc. de venen. C. III. p. 55.* de viro nobiliss. Lugduni Batav. qui A. 1717. a catello Melitensi, quocum ludebat, leviter in extremo digiti admorsus, nihilque tam parvum vulnusculum curans, paulo post in atrocissimos capitis dolores & reliquam hydrophoborum symptomatum catervam incidit. Ex osculo cani rabienti dato, ex immissione item manus in os, etiamsi non momorderit, quosdam infectos fuisse *Cardanus* auctor est, *Contrad. Med. L. II. Tr. II. c. 9. p. m. 773. conf. Zacut. Lusitan. Prax. adm. L. III. obs. 82. Mathiol. in Dioscorid. L. 17. c, 36.* Sic rusticum hydrophobum, cum liberos esset exosculatus, omnes ita infecisse, ut septimo die miserrima morte patrem comitati fuerint, scribit *Palmarius L. VI. de morb. cantagios.* Ex halitu, adspiratione & odore infectorum exempla adducit *Roscius*, apud *Hildanum C. I. Obs. 86.* Per congressum maritalem a marito demorso in fœminam translatum fuisse id mali genus *Excell. Frid. Hoffmannus, Med. rational. refert. p. 178. conf. Cælius Aurelianus, de morb. acut. L. III. c. 9. Hildanus, Obs. l. c.* Felis rabiosi scalpturam in dextro pollice, ubi epidermis vix offensa fuit, rabiem exitialem induxisse ipse *Hildanus* tradit, *l. c.* A gallo gallinaceo læsos in rabiem & hydrophobiam

Morsu. *Osculo.* *Halitu.* *Congressu maritali.* *Scalptura.*

biam incidiſſe *Bartholinus*, *Cent. V. Hiſt.* 52. & *Scaramuccius Epiſt. ad Magliabech. M. N. C. A. IX. & X. app. p.* 251. commemorat. Ex lacte vaccæ a cane rabido demorſæ ruſticum eiusque uxorem, liberos & alios rabie infectos obſervavit *Timæus a Guldenklee*, ex quibus pater & filiorum natu maximus auxiliis artis ſervati fuerunt, mater cum reliquis duobus filiis & totidem filiabus perierunt, poſtmodum, ex intervallo trium quatuorve menſium, etiam ancilla ac vicina cum quatuor liberis, qui lacte iſtius vaccæ uſi erant, omnes in furorem acti, horrendo & notabili exemplo, miſere interierunt. *L. VII. Caſ.* 23. Per carnes animalis rabidi comeſtas rabie correptos periiſſe *Fernelius*, *de abdit. morb. cauſ. L. II. c.* 14. *Borellus C. I. obſ.* 75. tradunt. Ex ſtraminis, in quo ſues rabie perciti decubuerant, eſu, equos, boves, & oves rabiem cotraxiſſe, vidiſſe ſe teſtatur *Palmarius*, *de morb. contagioſ.* Et quod huius veneni vim & activitatem in minima mole maximam arguit, parvumque graviſſimi morbi initium oſtendit, exemplum legimus apud *Hildanum l. c.* de puero adoleſcente, qui, quum gladium, quo, plures ante annos, canis rabioſus confoſſus erat, rubigine obductum extergere & perpolire vellet, improvidus digito inflixit vulnuſculum, unde rabie percitus periit: itemque de Matrona, quæ, cum laceratam a cane rabido veſtem reſarciret, poſt tres menſes melancholica & tandem rabioſa facta miſerrimam mortem obiit. Sic refert *Cælius Aurelianus de acut. morb. L. III. C. IX.* Sartricem, cum chlamydem ſciſſam morſibus rabidis ſarciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, & lingua pannorum ſuturas lamberet, aſſuendo, quo tranſitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem verſam fuiſſe. Simile exemplum ancillæ, in Epiſcopatu Herbipolitano, haud procul a patria ſua, ſe cognitum habere Amicus aſſeveravit: quæ dum veſtimenta ſua a cane

Lacte vaccino.

Carnibus comeſtis.

Gladio infecto.

Filo ſartricis infecto.

ne rabido dilacerata repararet, & filum postea dentibus prehenderet, post tres menses rabida facta mortem oppetiit. Quo minus mirum videri debet, si, quem canis rabidus ore polluit, silex aut lapillus, ex observatione *Borell. C. IV. obs. 22.* possit hominem inficere.

Solus animalis rabidi contactus, halitus, sputum adspersum num inficere possit?

§. VIII. Solum quidem rabie acti animalis contactum, halitum, sputum in illæsam cutem incidens, spumam adspersam, sine læsione unitatis, malum hoc propagare posse negant non pauci experientissimorum & præstantissimorum Practicorum, *Salius*, *Amatus Lusitanus*, *Fracastorius*, *Fernelius*, *Codronchius*, *Palmarius*, *Sennertus*, *Stalpart van der Wiel.* Prudens ille observator & Medicus satis perspicax, Celeb. *Tulpius*, neminem se vel audivisse vel vidisse scribit, cui sputa canis rabidi detrimento fuerint, *Obs. XX. L. I.* At vero: licet rariores sint casus & observationes veneni huius per solum contactum & halitum in alios translati: cum in subiectis sanis temperamento satis temperato, habitu, tonoque partium validiore, naturæ bonitate gaudentibus non facile admittatur aut etiam in minima quantitate admissum facile superetur aut excludatur; quemadmodum istis concurrentibus circumstantiis, etiamsi læsio cutis per morsum accesserit, sæpe vim suam exerere nequit: nulla tamen causa est, cur quod observationibus non unis compertum & exploratum habemus, temere in dubium vocare atque fidem non minus prudentum atque experientium virorum suspectam reddere debeamus: inprimis cum rationi non repugnet, posse in subiectis ad recipiendum habilioribus, validissimo existente veneno, vel minimam moleculam halitus & effluviorum venenatorum sanguinem inficere. Quod ut satis perspectum habebat laudatus *Tulpius*; ita sputum & spumam in eiusmodi casibus semper probe abluere iussit, territus, ut ipse confitetur,

exem-

exemplo ſartricis, apud *Aurelianum:* nec ſine ratione *Hildanus: ſaliva,* inquit, *canis rabidi in parte aliqua cutis exſiccata, niſi mature & diligenter abluta & abſterſa fuerit, rabiem excitare potens eſt. Cent. I. Obſ. 87.* Obſervavit Clar. *Mauchartus, Ephem. N. C. Cent. IX. Obſ. 37.* rabiem & hydrophobiam lethalem in demorſo in facie a cane rabido, ſed ita demorſo, ut veſtigia morſus tria, non niſi ſuperficiaria, in mento, radice narium & gena dextra apparerent; ſed quo vix cuticulam fecerunt rubentem, nihilque ſanguinis fuderunt, plane non profunda nec dolentia. Si contagium ſanguinem non tangat, extrinſecus nocere non poſſe, facile concedimus *Amato Luſitano, Schol. Curat. 41. cent. VII.* ſed halitus & effluvia ſputi, cuti & corpori admota, ad ſanguinem pertingere non poſſe nunquam probabit, contrarium oſtendente ratione & experientia.

§. IX. Quo atrocius vero ac vehementius id quicquid hic eſt veneni contagioſi, ubi expergiſcitur & iam prodere ſe incipit, furit, quoque celerius tum progreditur & tragœdiam abſolvit, eo magis mirum videri poſſet, illud ſæpiſſime in corpus receptum diu in occulto deliteſcere antequam ſe manifeſtet, atque per inſidias quaſi proſiliat. Prout enim alii ſtatim, ubi commorſi ſunt aut paulo poſt, ita alii poſt plures demum dies, menſes, alii exacto non uno tantum anno, ſed pluribus, vim exitialis huius veneni experiuntur. Plerumque circa quadrageſimum, raro ante vigeſimum diem ſcenam inſtituit. In nupero caſu, qui in vicinia noſtra contigit, poſt exactas novem hebdomadas ſubito expergefactum fuit venenum. Ita puerum, ante plures annos, hic locorum a cane rabioſo in ore morſum, poſt novem ſeptimanas rabidum factum atque mortuum fuiſſe, non pauci adhuc norunt: & in pago Wilmersdorff, in Comitatu Hohenloico, binos ſervos poſt

Venenum hoc ſæpe aliquamdiu deliteſcit, antequam expergiſcatur.

duos annos a morſu canis in rabiem incidiſſe, amicus nuper retulit. De nobili quodam miram & omnibus, ut ait, notam hiſtoriam allegat *Loſſius, Diſſ. de hydroph.* qui a cane Meliteo rabido, qua faciem, demorſus, poſt aliquot demum annos ab omni veneni ſuſpicione liber nuptias celebravit, ubi autem primos amoris fructus decerpere tentabat, rabie correptus ſponſæ faciem cum adiacente carne arroſit. Sic *Petrus Salius Diverſus l. ſupra cit.* ab eodem cane commorſos alios duobus, alios quatuor menſibus, alios tardius rabie correptos ſe vidiſſe ſcribit. Poſt quinquennium demum venenum erupiſſe ac ſcenam totius morbi inſtituiſſe *Fracaſtorius* obſervavit, *de morb. contag. L. II. C. 10.* Vix ultra ſeptennium ſopitum degere illud venenum in corpore perhibent: licet quidam per octodecim, alii per quadraginta annos id ipſum imis ſedibus velut in ſtatione oblituiſſe affirment. Vnde & a matre in fœtum, per traducem, more aliorum morborum hereditariorum, migrare poſſe hoc mali genus, ſic ut nihilominus eius principium a cane petendum ſit, non abſurdum, cum *Liſtero,* arbitratur Exc. *Lentilius, de Hydrophob. p. 43.*

Phænomena rabidi huius morbi.

§. X. Poſtquam autem venenum illud atque ſemina noxia vel manifeſto, vel imperceptiori magis aditu ſeſe in vitalia hominum inſinuarunt, & iam aperta labe hominem infeſtant, *In primo gradu.* ægri mœſti fiunt, ſcrupuloſi, inquieti, iracundi ſine cauſa, profunda ſuſpiria trahunt, ſolitudinem quærunt, timent melancholicorum more, ſine ratione, ſecum loquuntur &, tacita muſſitatione ſervata, murmurant, artus contremiſcunt cum ſudore frigido, de caligine oculis offuſa conqueruntur; lucem tamen fugiunt & abhorrent. Pars olim commorſa & vulnerata, etiamſi vulnus diu coaluerit, dolet, qui dolor per partes vicinas hinc inde evagatur, ipſumque caput conſcendit, inducta ſimul verti-

vertigine, laſſitudo & membrorum gravitas totum corpus occupat, ſomnus eſt inquietus, turbulentus, pavoribus plenus. His ſignis primo ſe prodit anguis ſub herba latens: & hunc ſtatum primum morbi gradum dicunt.

§ XI. Deinde accedunt pandiculationes, tenſiones, ſubſultus membrorum, convulſiones, languor inſignis, cardialgia, anguſtia præcordiorum, ventriculi gravitas, ſingultus, reſpiratio anheloſa, difficilis, anxia, cum facie quaſi ardente, oculis torvis, lachrymoſis, vomitu humoris glutinoſi, bilioſi, ex fuſco vireſcentis, palpitatione cordis. Appetitus eſt proſtratus, ſolida tamen utcunque ſæpe, licet difficulter, nec ſine labore, deglutiunt: etiam nivem ſæpe ac glaciem. Ad conſpectum vero aquæ, quin & omnium fere liquidorum, rerumque vel pellucidarum, vel ſpeculi in modum lumen reflectentium, imo ad ſtrepitum ſæpe nomenque potuum auditum horrent, tremunt, convelluntur, neque ullo modo, etiam cum obfirmato animo imaginationi perverſæ vim facere volunt, liquores ſine maximis angoribus deguſtare, multo minus deglutire valent. Sic Mercator ille, natione Gallus, apud *Clar. Chr. Ioh. Langium, Oper. P. II. p. 244.* cum adſtantium aliquis vino medicamentis imbuto linteum immerſiſſet, viſurus, num hoc modo tantillum propinari miſero poſſit, manu quidem illud cupide arripiebat firmiterque tenebat; ſed ori admovere non poterat, utut alta voce ſemetipſum ad deguſtandum illud invitaret admoneretque aliquoties his verbis: Courage! Courage! Conf. *Liſterus de Hydroph. Ægrot. 1.* Sic quoque æger Francofurtenſis, apud *Excell. Lentilium de hydroph.* quamvis ſitiens bibere vellet, cyathusque aquæ fontanæ ad eius iuſſum ipſi porrigeretur, tantam tamen anxietatem experiebatur, cum horrore, membrorum iactatione, concuſſione colli, oculorumque quadantenus con-

In ſecundo gradu.

Hydrophobia.

convulſione, ut potum ne labiis quidem deguſtandi, tanto minus deglutiendi daretur facultas. Ad auræ & venti quoque humidioris aut frigidioris contactum aliquando inhorreſcunt & convelluntur, ſudor ſæpe per faciem defluit, os ſaliva turget, quam tamen averſantur & cum horrore ac indignatione exſpuunt. Pulſus eſt inordinatus, mox tremulus multum & commotus, mox frequens ac ſæpe celerrimus. Febris ſimul adeſt, ſi non ſemper manifeſta, tamen occulta, ardor internus, licet exteriora frigeant: vigiliæ, priapiſmus cum pollutione ſæpe & ſeminis proiectione, mente plerumque labuntur, & ab ea deſeruntur: unde incondita cogitationum ſeries, imaginationes perverſæ, alienæ, horribiles, cum dilucidis tamen ſæpe intervallis, quidam mente conſtant aut conſtare potius videntur, cum ſemper adſit imaginationis depravatio, pellucentibus ſaltem rationis quibusdam, pluribus, paucioribus, radiis, ad ultimam usque vitæ horam. Ita progreditur malum, atque ſic ad gradum ſecundum proceſſiſſe illud exiſtimant.

In tertio gradu. §. XII. Tandem omnia exacerbantur, ſummis angoribus exagitantur, cumprimis ad conſpectum aquæ, vel alius liquidi, corporis pellucidi aut lucem reflectentis; hinc exiliunt de lecto, de loco in locum ſine quiete aguntur indignabundi & anxii, membris trementibus, quæ ſæpe impetuoſe iactitant, ſæpe in gyrum quaſi componunt. Ipſe novi tale exemplum pueri Gieſſenſis a catello quocum ludebat demorſi, atque, poſt 6. ſeptimanas & ultra, in hydrophobiam incidentis, cum convulſionibus & febre, qui ad conſpectum potulentorum e lecto proſiliens fugam per feneſtram meditabatur, hæc verba ingeminans: hier iſt meines bleibens nicht. Pedes & brachia concutiunt, ſcalpunt, dilacerant, ſpiritum non niſi cum ſpaſmodicis pectoris

ris colliqué motibus ducunt, ſubinde clamores & eiulatus miſcent, ſonos inconditos, more epilepticorum, edunt, ita interruptos, ut rauca ſimul voce latratum canum, per repetitas faucium & pectoris concuſſiones, referant, dum loqui cupientes verba vix dimidiata ob anhelitus brevitatem effari queunt. Vnde nata eſt traditio, eiusmodi ægros latratus canum imitari, quæ tamen obſervationibus prudentiorum non confirmatur. Sitis adeſt intenſiſſima, unde lingua exerta quaſi refrigerium quærunt, ringunt, frendent ore ſpumante, atque impetu furibundo, a voluntate non coërcendo, inviti ſæpe feruntur obvia quæque mordendi, dum tamen, quod valde mirabile, mens prudens atque ſibi conſtans videtur; quandoquidem ſe ipſos ſæpe corrigunt, atque ſuas phantaſiæ depravationes agnoſcunt, miſerias ſuas deplorant, ſeſeque Dei miſericordiæ commendant, aliisque etiam a ſe metuant, illosque, ut ſibi caveant, hortantur. Prius confirmat exemplum Philoſophi apud *Aetium, tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 24.* & pluribus obſervationibus illud ipſum comprobat *Petr. Salius l. c.* confer. *Tulpius, Obſ. 21. L. 1.* Poſterius docet exemplum de iuvene quodam, quod refert *Nicolaus*, explicans *Gentil.* in *comment. ſuper Avicennam*, qui omnes ſibi appropinquantes momordit, matrem vero monuit, ne temere ſibi occurreret, ſi quidem a vi cavere ſibi vellet. Cui non valde abſimile legimus apud *Greg. Horſtium, Tom. II. p. 337. ſeqq.* nec non apud *Schenckium in obſ.* de hydrophobo, qui adſtantes precatus eſt, ne propius accederent, ſe enim neſcire ſibi imperare, quo minus dentibus eos non impetat. Poſtremo convulſiones invaleſcunt cum audaci diſipientia, feroci mentis agitatione rabieque ſæpe ſumma, pulſus fere deficit, reſpiratio ſufflaminatur ad ſuffocationem usque, ſudor gelidus per corpus & faciem fluit, donec mors convulſiva,

Vnde traditio, quod ægri iſti latratum canis imitentur?

 ple-

plerumque intra quartum a primo gradu diem, miseriæ & vitæ finem imponat.

Hydrophobia num semper rabiem comitetur?

§. XIII. Num hydrophobia morbum hunc contagiosum semper comitetur, & num in omni rabie metus ille liquidorum coniunctus sit? disquirunt Medici. Sunt qui affirmant, sunt qui negant. Ex veteribus *Aetius, tetrabl. 2. serm. 2. c. 24. omnes qui a rabioso cane morsi sunt, si neglecti fuerint, aut male curati, in affectionem timoris aquæ incidere dicit.* Cui consentit tota fere antiquitas. Alii vero in alia ire experientiam, nec omnes rabidos horrere aquam existimant: *cum Salmuth. Cent. 3. Obs. 90.* observaverit, canem quendam rabidum, ut tres carnificis servos effugeret, per medium rapidumque flumen, Salam, tranasse. Ita canem vere rabidum, cum morsu & bruta & homines infecerit, primo a pueris vocatum Nicrum traiecisse, postea a rusticis persequentibus compulsum, cum alia non pateret fugæ via, in Nicrum rursus prosiliisse refert *Clar. Mauchartus, Ephem. N. C. Cent. IX. Obs. XXXVII.* Quicquid sit, si observationes consulamus, id quidem satis manifestum est, in pluribus a cane rabido demorsis, venenum, etiam ubi iam aliquo modo expergefactum tragœdiam iam ludere cœpit, vel naturæ bonitate vel adhibitis probatæ virtutis remediis, fuisse superatum, antequam hydrophobia accesserit: vix aut raro tamen observationem fide dignam reperire licebit, ubi illud, postquam eo acerbitatis venit, ut rabiem ipsam & depravatæ imaginationis impetum furibundum intulerit, non etiam hydrophobiam adduxerit. Non desunt tamen observationes hydrophobiæ, etiam lethalis, sine impetu mentis furibundo; ut non sine ratione edixerit *Excell. Zvvingerus, Misc. Nat. Cur. Decur. III. A. II. Obs. 104. Schol.* Hydrophobiam sine rabie sæpius, nunquam vero rabiem caninam sine hydrophobia existere. Negare tamen

non

non possumus, adductum modo Clar. *Mauchartiexemplum* rem adhuc dubiam reddere. Ita Senex quoque apud *Tulpium L. I. C. XXI.* rabiosus & iam hydrophobus, postquam fluvio leniter perfusus fuisset, interdum, licet moleste, bibit, circa postremos dies affatim, morbo ipso non remittente, donec convulsiones ipsum iugularent.

§. XIV. In defunctis gravissimo isto morbo, in quo aegri non tantum convulsivis motibus conficiuntur, sed & simul intensissima siti & aquae tamen metu excruciantur, Anatomia Practica ostendit totum corpus exsiccatum, omnia viscera, cerebrum, cerebellum, spinalem medullam, sicciora, praeterea non tantum gulam, sed & ventriculum ac intestina materia viscidiori ac glutine bilioso obducta atque repleta, ventriculi interiorem tunicam plerumque corruptam, inflammatam, oesophagum & intestina constricta, vesiculam fellis viridi bile turgentem, pulmones aliaque viscera saepe coacervato cruore infarcta, inflammata, arterias plenas cruore liquido, fluidiore, nec ita facile coagulabili, venas vacuas, aut sanguinis viscidioris maxime congulabilis quid continentes: prout ex *Capivaccio Pr. L. VII. c. 12. Bonet. Sepulch. L. I. S. VIII. Obs. 8.* aliorumque observationibus constat. Ita corpus hydrophobi, cuius Anatomen *Acta Haffniens. Vol. V. Obs. 115.* exhibent, prorsus extenuatum erat, ac si hectica tabefactum fuisset, omnibus fere partibus consumptis. Hepar in parte concava inflammatum & gangraenae proximum cum pleura firmiter coaluerat, & sinistra parte lieni arctissime adnatum erat. Vesicula fellis bile viridiuscula plena costis adhaerebat. Ventriculi interior tunica corrupta digitis poterat abradi, eiusque superius orificium exile admodum, sicut & totus oesophagus angustus valde & quasi constrictus erat. Pulmones aridi, exsucci, costis adnati. Pericardium omni humi-

Observationes Anatomicae in corporibus defunctorum.

humiditate deſtitutum, cor flaccidum & extenuatum, cuius auricula dextra inſigniter tumefacta, dexter ſinus ſanguine grumoſo plenus, ſiniſter ſanguine plane fluido. Sic quoque *Clar. Zvvingerus*, in corpore ruſtici, hydrophobia, ſecundo menſe poſt acceptum a cane rabido vulnus, correpti & extincti, cicatricem quidem vulneris colore naturali præditam, in humero vero & ſcapula eiusdem lateris, ut & in reliquo dorſo inſignia gangrænæ & ſphaceli indicia conſpexit, livore anterius ad partem pectoris ſiniſtram ſe extendente. Inteſtina inflata & rubicundis maculis ceu totidem inflammatiuncularum ſignis conſperſa erant, quales & quidem latiores maculæ etiam in ventriculi tunicis, inprimis circa utrumque orificium deprehendit. Thoracis cameram undique ſanguine ſuffuſam non ſine ſtupore vidit. Pulmones pleuræ adhæreſcentes, ſanguine quaſi ſuffarcinati, concreti ſanguinis molem referebant. Interſtitia membranoſa circulorum aſperæ arteriæ intenſiſſime rubebant, diaphragma, qua coſtis fuit vicinius, ſiderationis incipientis veſtigia monſtrabat. Sive tandem cordis ventriculos, ſive vaſa circa illud maiora, ſive pulmones mille locis incideret, nullibi niſi concretum ſanguinem omni propemodum ſero fluido deſtitutum reperire licuit. In Iuvene Francofurtenſi hydrophobo, apud *Excell. Lentilium de hydrophob.* deprehendit *Dn. D. Guckelinus* dextram cordis auriculam ſanguine grumoſo refertam, pulmonum lobum in altero latere arctiſſime diaphragmati adhærentem. In ventriculo, præter 5. l. 6. lumbricos, tunicas in fundo eroſas & excoriatas, intentata quaſi gangræna, membranas ſanguine ſuffuſas, veſiculam felleam bile valde turgentem. Nullam hic inflammationem colli etſi curioſe quæſitam potuit detegere: quam, in apertis aliquoties hoc morbo defunctorum corporibus, obſervare quoque non potuit

Cel.

Cel. Rolfincius, Diss. Anat. L. 1. c. 13. p. 79. Adſtiti ante viginti quatuor & quod excurrit annos, hic Giſſæ, ſectioni hydrophobi, in cuius corpore, præter ſiccitatem exſuperantem & extenuationem, inteſtinum Ileon glutine ultra modum tenaci repletum atque mirum in modum conſtrictum ac corrugatum deprehendebatur, non aliter ac corium ab igne corrugari ſolet.

§. XV. Vidimus effectus veneni huius adeo exitialis & ea quæ ſub ſenſum cadunt: iam hoc nixi gradu & ratione adiuti ingenium atque indolem ipſius, cauſasque interiores perſcrutabimur. Illud, ex obſervationibus adductis ſatis perſpicuum eſt, id genus veneni in totum corpus animale eiusque cum fluidas, tum ſolidas partes vim ſuam exſerere. Prius ex ipſa febre aut diſpoſitione febrili, & maligni quidem moris, quam inducit, quæque hic non niſi ex inquinatis humoribus dimanare poteſt, ſed & ex eo manifeſtum eſt, quod ſanguis & ſerum, oculorum iudicio, longius a naturæ lege diſcedant, turbata atque in venis quidem coagulata deprehendantur & ſigna corruptionis evidentiſſima oſtendant. Poſterius motus convulſivi, nervorum tremor, conſtrictiones, eroſiones partium atque ſimiles effectus abunde declarant. In promptu hinc erit colligere; illud ubi in corpore genitum, aut aliunde in humores animalium delatum fuerit, hos ipſos pervadere, fermenti inſtar inficere, eorundemque partes in ſui naturam & ſimilitudinem reformare, & ad ſui motus officia adducere, naturalem illorum motionem confundere, amicum fœderis atque coniunctionis vinculum inter minima componentia, ſpeciatim inter moleculas oleoſas, gelatinoſas, atque ſeroſas, aqueas, diſſolvere, ut ſingula ſui iuris facta, diſperſa, in fixationes, coagulationes demum deſinant, atque fluidiora, eiecta extra mixtionis ordinem, a craſſioribus maiori

Venenum hoc tam fluidas quam ſolidas partes aggreditur & corrumpit.

iori in copia facillime ſecedant : humores vero ſeroſos acri, acerbo atque cauſtico quaſi charactere imbutos ſolidas partes exſtimulare, lancinare, atque ad motus ſpaſmodicos, convulſivos vehementer incitare : quo ipſo, deſtructo non tantum partium fluidarum & ſolidarum æquilibrio, ſed & tenſione ac tono harum depravato, adſtricto, non poſſunt non oriri febris, congeſtiones, inflammationes, eroſiones, hinc inde, ubi minor eſt in partibus reniſus. Nec aliter fieri poteſt, quin ſimul invaleſcente febrili motu & vehementiore humorum æſtu & rarefactione, cum impetu inæquali varioque & modo remittente, modo recurrente, extrorſum truſis ac dilatatis, quæ cerebrum alluunt & pervadunt, arteriolis, fibræ medullares cerebri & nervorum ipſaque ſenſuum organa premantur, vibrentur atque ab intentione ſua naturali dimoveantur, unde immutata naturali temperie cerebri, qua mens rationem ſuam exercet, obortisque imperitis vibrationibus & impulſibus, totum muſicum cerebri opificium pervertitur; dum confuſis in fibris agitationibus confuſæ in mente cogitationes reſpondent, ita ut, perturbatis operationibus, mens imperio ſuo ſtatuque deiiciatur, imaginatio depravetur atque furibundi impulſus obrepant. Adeoque ſatis expeditum videtur, venenum illud conſtare partibus acribus, acutis, ſcindentibus, volubili motu penetrantibus, per maſſam humorum ſe diffundentibus, atque vi fermentativa eandem in ſui naturam convertentibus. Nec difficulter perſpicimus, qua ratione ſcindendo & ſolvendo, eadem operatione, diverſos in diverſis partibus effectus, in ſolidis eroſionem, in fluidis diſturbationem mixtionis, diſſociationem elementorum conſtituentium, & quandam quaſi præcipitationem & coagulationem producant.

Partes hoc venenum conſtituentes quales?

§.XVI.

§. XVI. Cum venenum illud tantillo, imo perexiguo & sæpe imperceptibili substantiæ & molis apparatu adeo funestum sit, atque atrocissima symptomata inducat, facile perspicere licet, esse illud valde actuosum, resolubile, eiusdemque partes calore animali expansas atque divisas in motum vehementiorem facillime expergisci atque moleculas quasdam sibi quoad elementa componentia quodammodo similes & æque resolubiles, faciliorisque proinde admissionis, in sanguine vel sero aggredi, pervadere, resolvere & in similem motum & agitationem intestinam abripere, in sui naturam pertrahere, atque ita tandem vim suam deleteriam per totum corporis habitum diffundere, non secus ac parva fermenti cuiusdam moles, cuius partes agiles & penetrantes in motu iam existunt, ingenti moli fermentandæ adiecta succussibus suorum minimorum massam istam aggreditur, nexum partium strictiorem dissolvit, hisque libertatem erumpendi & seorsim se agitandi suppeditat, plurimasque crasi & mixtione sibi similes, pro habilitate & ad similem motum propensione impulsu suo abripit, in consortium non tantum motus sed & naturæ suæ, h. e. dispositionis, tenuitatis, qualitatum, &c. pertrahit totamque massam pervadit ac inficit: aut sicut scintillula ignea motum igneum per ingentem quandam massam aut acervum materiæ habilis & ad recipiendum aptæ propagare totamque molem in similem agitationem igneam abripere solet, idque vel lentiore progressu, sensim gliscendo, pro diversitate habilitatis, & pro gradu inflammabilitatis aut resistentiæ, vel celerius, cum luculenta flamma, vel celerrime, exemplo pulveris pyrii. Neque mirum videbitur tantum effectum a tantilla causa, ipsi, ut prima fronte videtur, minus proportionata proficisci, si penetrabilem efficaciam effluviorum insensibilium in corpus animale & alia quo-

Venenum hoc est valde resolubile & actuosum, etiam minimis partibus.

Quomodo in sanguinem operetur?

Minimi sæpe magna vis est.

que corpora, ubi mobilitas iuvat, & celeritas motus compensat vires, expenderimus atque simul consideraverimus, minimam veneni huius moleculam in plurimos exilissimos ac mobilissimos cuneos acutos summe penetrantes, acres, corrosivos resolvi, motuque concitatiori atque celerrimo agitari: ut proinde non opus sit ad occultas vel intentionales qualitates hic recurrere, vel ab ideali, astrali, spirituali vi aut similibus chimæris, veneni huius efficaciam derivare, dum materiales particulæ, subtiliores quidem & exiles, solidæ tamen, acutæ & ob celerrimam agitationem summe activæ, præsto sunt, quæ quicquid hic reperitur mali producere possunt; dumque universam naturam, in operationibus suis, reali agentium materialium ad passiva applicatione, quamvis sæpissime inperceptibili, procedere observamus.

Non opus est, ut ad intentionales, ideales, astrales, spirituales qualitates hic recurramus.

Natura, compositio & constitutio essentialis huius veneni.

§. XVII. Virulentum hoc contagium in sero salivali fermentativo, subtili, potissimum hospitari, per salivam facillime diffundi, seroque sanguinis se associare, illudque totum inficere, ex observationibus clarissimum est. Vnde similis cum saliva, hoc est saponaceæ naturæ, ex salino & oleoso principio intime resoluto, fermentativo, compositæ, inprimis vero salinæ indolis illud esse facile apparet; præsertim cum acrimonia, acerbitas & vis qua partes hinc inde peredit, quæ, in partibus solidis, & constrictionibus & erosionibus satis se prodit, id ipsum ulterius confirment. Dum vero corporibus, vestimentis, filo, gladio penitius & constantius adhærescit, atque diutius naturam illam suam prædatricem tuetur, aliquid ex viscidiore, oleoso, sulphureo principio coniunctum habere nullum dubium est. Nempe ipsa coniunctio utriusque principii, salini & oleosi, facile resolubilis, fermentativi, aptum reddit contagium hoc, ut ab humoribus serosis corporis animalis, in qui-

bus

bus similia principia reperiuntur, facile admittatur & recipiatur, atque in saliva inprimis, quæ principiis agilibus fermentativis turget, conveniens hospitium, atque consortium, in suam pravitatem haud difficulter pertrahendum, inveniat.

§. XVIII. Licet vero nocentissimum hoc virus adeo sit subtile sæpe & penetrans, ut non tantum per contactum immediatum in alios transfundatur, sed & emissis exiguis halitibus in vicinos imperium aliquando exerceat. Rariores tamen esse has observationes, atque ad longius dissitos se non extendere hoc contagium experientia docet. Vnde habere illud certam exhalationis sphæram, nec tam promte ac facile in fluido aëreo solvi, nec pari cum aliis contagiis venenatis, pestilentiali, febrium malignarum &c. volatilitate per aëra ferri, sed naturæ esse lentioris & aliquo modo fixioris satis apertum est. Habent enim, ut salia, secundum *Helmontium*, ita & venena suas respublicas, atque varia genera; differtque venenum a veneno. Neque illud quoque non perspicere licet, si observationes expendamus, admittere illud diversitatem quandam & gradus malignitatis; prout particulæ ipsius, commotione intestina, crebriore itu redituque attritæ in statum subtiliorem, mobiliorem & nocentiorem eriguntur, pro ratione plurium, quæ circumstant, conditionum.

Venenum hoc habet peculiarem naturam, exhalationis sphæram & gradus malignitatis.

§. XIX. Atque ita essentialem veneni huius constitutionem dilucidius expeditam intueri nobis copia datur. Scilicet ex dictis, nisi nos omnia fallunt, satis clarum atque apertum est, esse illud nihil aliud, quam congeriem particularum salino-sulphurearum, saponacearum, ex salibus & oleis intime divisis & quasi putrefactis progenitarum, acrium, acutarum, scindentium, subtiliorum, mobiliorum, motuque vehementi, concitatiori, in fluido seroso, agitatarum;

Quid sit hoc venenum.

quæ, in relatione ad corpus animale, certa ac determinata ſua diſpoſitione ac motu, certoque penetrabilis acerbitatis & corroſivæ activitatis ſuæ gradu, aptæ natæ & ita comparatæ ſunt, ut fluidorum animalium mixtionem & craſin turbare, ſerum & ſalivam inſtar fermenti inficere, atque partes iſtius in conſortium pravitatis ſuæ & ſimilem motum abripere, & ſic cum hiſce ſimul infectis ſolidas partes ad ſpaſmodicas contractiones exſtimulare, totius corporis harmoniam vitalem pervertere, tandemque extinguere poſſint.

Qua ratione generetur venenum hoc in corpore animali?

§. XX. Neque adeo arduum fuerit exploratius paulo pernoſcere, qua ratione generetur virulentum hoc principium in corpore animali. Scilicet illud nemo in dubium vocare poterit, quod & *Hippocratem* noſtrum ſatis perſpexiſſe ex *Libr. de Priſc. Med.* apparet, ingredi ipſam naturalem ſanguinis mixtionem moleculas ſalinas, acres, acerbas, ſulphureas, cauſticas, quæ, quamdiu per reliquas partes diſperſæ, diviſæ & cum iis coniunctæ, temperatæ, ſub involucro particularum dulciorum, oleoſarum, blandiorum, viſcidiorum deliteſcunt, tantum abeſt, ut noxam corpori inferre poſſint, ut potius omni nocente activitate privatæ ad temperiem ſanguinis & conſtituendam & protrahendam concurrant, atque, ſecundum *Hippocratem*, mixtione & mutua inter ſe contemperatione neque cernantur, neque quenquam moleſtia afficiant, haud aliter, ut exemplo rem declaremus, ac ſpiritus nitri, vitrioli, oleum vitrioli, fluores cauſtici & corpori animali ſatis nocivi, ſi cum partibus ſic dictis alcalinis, nitro fixo, ſale tartari, vel huius oleo per deliquium, debito modo, conſocientur, depoſita omni corroſivitate, tuta & non contemnendæ virtutis medicamenta conſtituunt: aut ſicuti acet acerba ſpicula ad præſtantis vini temperiem cum oleoſis, aquoſis, blandis, conſtituendam

dam concurrunt, imo requiruntur. Quando vero harum quid ſecretum fuerit, verbis *Hippocratis*, & per ſe extiterit, tunc & conſpicuum fit, & hominem moleſtia afficit. Quando nempe ſanguis a blanda illa & placida mixtionis & motuum temperie a certis cauſis, quæ variæ eſſe poſſunt, deiicitur & turbatur, ut, reſoluta compage motaque concordia, ſublatis aut infractis amicæ coniunctionis adminiculis, præſidiis, mediis, partes modo dictæ acres, acerbæ, corroſivæ quodammodo indolis, extra mixtionis naturalis ordinem eiiciantur, in libertatem vindicentur; non ſecus ac nitri ſpiritus a vinculis, quibus detinebatur, liberatus, aut aceti ſpicula, turbata amica vini partium harmonia & mixtionis ordine, ſui iuris facta; & conſocientur; irruentesque in reliquas lentiores aſſidua concuſſione fermentationem aut motum inteſtinum præternaturalem accendant: & quando hoc ipſo inteſtino concitatiore ac validiore motu, partes illæ ad magnum tenuitatis, & proinde earum acrimonia ad maiorem corroſivitatis vel cauſticæ naturæ gradum evehitur, tum fieri aliter non poteſt, quin, in illa ipſa concitatione, commotione, maximam nocendi vim, a præſtantiſſimis medicamentis, ob tenuitatem, & hinc ſimul penetrandi ac pervadendi ubique habilitatem, facilitatem, motusque iugiter & ſine intermiſſione continuati celeritatem ac vehementiam, vix aut plane non compeſcendam, atque ſic omnes veneni conditiones acquirant. Quodſi enim, ex mente intelligentium & peritiorum Medicorum, veneni indolem metimur (1.) partium tenuitate & agilitate, (2.) acrimonia intenſiori ac corroſiva, (3) habilitate promptiſſime nocendi, & quidem pergraviter, etiam in minima mole, (4.) effrenata, indomita præſtantiſſimis remediis reluctandi ac reſiſtendi pertinacia: hæc omnino minutæ & actuoſæ ſanguinis particulæ in cenſum venenorum maximo ſuo merito deducuntur.

§. XXI.

Cur quædam animalia ad admittendum hoc venenum habiliora sint?

§. XXI. Ex quibus haud difficulter conficitur, cur quædam animalia ad hoc mali genus ſponte concipiendum proniora ſint præ aliis, & cur canibus, lupis, felibus, vulpibus, ſimiis, illud magis familiare ſit? Nempe, cum illa ſint calidioris naturæ, præterea ad iram procliviora, ſalaciora, agiliora, cumque odore, quem ſpargunt, inprimis graviter olente, ſulphureo-ſalinæ mixtionis in ſanguine exſuperantis indicia præbeant, non ſine ratione iudicant periti, illorum ſanguinem eſſe temperaturæ inſigniter bilioſæ, ubi partes acriores, mobiliores, ſulphureo-ſalinæ, iam quodammodo attenuatæ, dominium exercent; partes vero ſolidas eſſe diſpoſitionis ſtrictioris, & ad motus oſcillatorios aptioris. Atque hinc facile fieri poterit, ut accedente cauſa, quæ intemperiem inducit, atque placidiorem mixtionem, concordiam & motus turbat, invaleſcente æſtu, crebriore partium ſolidarum ſtrictiorum & magis intenſarum concuſſione, fluidarum attritu, partes iam ad acrimoniæ, tenuitatis, mobilitatis notabilem gradum promotæ, ulterius atterantur, atque, ratione penetrabilis acrimoniæ bilioſæ ac putridæ acerbitatis, ad nocendi magnam potentiam provehantur. Cum e contrario, ubi partes fluidæ dilutiores, lentiores & gelatinoſæ, eo acrimoniæ non prot vehuntur, ſolidæ vero cauſis morboſis diſſolventibus ac rarefacientibus magis reſiſtunt, aut laxiores, non ita facile incitari ſe patiuntur, eo vehementiæ malum pertingere nequeat: ſi non plane, in prima, quod dicitur, herba ſuffocetur. Vnde nec ipſi canes ſemper fiunt æque rabidi, ſed magis aut minus ferociunt, pro ratione tum vehementiæ morbi, tum diſpoſitionis individualis, qua morbo magis vel minus reſiſtunt. Et hinc etiam non omnes commorſi in rabiem aguntur, ſed quædam ſubiecta beneficio naturæ veneni vim ſuperant ac eludunt.

§. XXII. Posse vero, in quibusdam animalibus, humores minus nocivos calore & commotione intestina crebroque partium agiliorum attritu, ad nocentiorem statum eoque pervadentis acrimoniæ redigi, ut veneni formam induant, Tarantulæ cumprimis docent. Harum enim exiguus mador vel ictu, vel alia ratione in corpus animale delatus, non omni in loco, nec quovis anni tempore nocivus aut exitiosus est. Testatur enim *Clar. Bagliv. de Tarantul. C. V.* Tarantulas, quæ montes ad Apuliam terminantes incolunt, ne quidem offendere, quocunque tempore mordeant. Illas vero, quæ in Apuliæ campis reperiuntur, si hyeme mordeant, nihil mali adferre, si vero æstivo tempore, quo coëunt, atque diebus canicularibus morsu infestent, ictus ipsarum perniciosos esse, quoniam tum ob veneris fervorem, tum ob æstatis calorem, humor ille aut mador ita extenuatur, ut partes exiliores factæ in veneni formam exaltentur: Vnde & ipsæ Tarantulæ tum temporis in rabiem actæ quoscunque sibi obvios impetunr, inter quas quæ in boreali Apuliæ parte degunt sæviores deprehenduntur. Ex ea ratione etiam viperæ, serpentes, scorpiones in climatibus calidioribus venenosiores sunt, quam in frigidioribus. Hinc scorpiones in Apulia minus virulentos esse, quam in Africa, magis tamen quam in reliqua Italia, laudatus modo *Baglivus l. c.* observavit. Hinc serpentum nostratium morsus sunt minus nocivi, cum Italicarum ictus in vitæ discrimen adducant, & earum quæ æstuosis gignuntur locis sint pestiferi. *v. Celsus L. 5. c. 27. §. 10.*

Potest generari venenum in corpore animali.

Exemplo sunt tarantulæ.

§. XXIII. Posse item vehementiore partium solidarum concussione, in subiecto iam disposito & habili, serum animale minus nocivum in pravum corrumpi, hominum & animalium, inprimis qui temperamenti sunt cholerici, aut quorum sanguis acriore, acerbiore charactere imbutus est,

Homines item & animalia ira excandescentia.

ira excandeſcentium, aut convulſionibus exagitatorum, pernicioſi & funeſti morſus oſtendunt. In illis enim concuſſione totius corporis & muſculorum ſubſultantium vehementiore motu, atque inordinata conſtrictione, partes acriores, bilioſæ, in ſanguine iam deliteſcentes & quodammodo evolutæ, aut ſub ſecretione in hepate regurgitantes, vel in inteſtina & ventriculum effuſæ ſeroque commixtæ, ulterius attenuantur, evolvuntur, atque ſic acriores & mobiliores factæ, ſerum, inprimis ſalivale, nociva ac venenata vi ac facultate imbuunt, ita quidem ut morſu ſæpe feroci, licet non adeo profundo, vulnera tam exitioſa inflicta fuerint, ac ſi a telis venenatis fuiſſent illata. Exempla recentiora nobis nota ſunt non una. A leviſſima digiti annularis morſiuncula, ex iracundia a marito uxori inflicta, atrociſſimos cruciatus obortos, ut tandem miſerrima fœmina, detruncata manu, mortem obierit, obſervavit *Ierem. Loſſius*, *Diſſ. de hydrophobia.* Atque hinc aliquo modo perſpicere datur, qua ratione fœmina hydrophoba facta fuerit ex morſu filiolæ epilepticæ, & quomodo iuvenis, qui poſt vehementem excandeſcentiam proprium digitum momorderat, id mali contraxerit. v. ſupra §. V.

§. XXIV. Genitum hoc modo venenum, ubi in alia corpora variis modis delatum fuerit, ſimilem corruptionem in iis moliri, quatenus partes quaſdam quoad mixtionem elementalem ſibi ſimiles & in ſimilem motum iam propendentes ciet, abripit, ſibique & quoad tenuitatem, & acrimoniam intenſiorem, & habilitatem nocendi, & remediis reluctandi pertinaciam ſimiles reddit, atque hoc modo per omnem humorum maſſam ſerpere eandemque ſæpe quaſi pervolare & inficere, iam ſatis, ut opinamur, apertum eſt. Sed cur, & quomodo virulentum hoc principium adeo activum, penetrans ac pervadens, in quibuſdam ſubiectis

Cur venenum hoc in aliis nihil

iectis nihil agat aut in vanum operetur ? in aliis citius, in aliis tardius expergiſcatur, in aliis per multos imo plurimos ſæpe annos ſopitum quaſi deliteſcat, antequam evigilet, ſcenamque tragicam inſtituat ? diſpiciendum adhuc erit. Venenum hoc admittere diverſitatem & gradus malignitatis, iam ſupra obſervavimus. Subiecta quoque eſſe diverſa ratione naturæ, habitus, atque virium, mixtionis atque temperaturæ humorum, nemo ignorat. Natura differt a natura, corpus a corpore, ſecundum *Hippocratem.* Conditiones etiam temporis, regionis, cauſasque & accidentia externa actionem veneni ſæpe vel adiuvare, vel retardare, reprimere ac impedire, & ratio & experientia docet. *Qui fieri poteſt, inquit, doctiſſimus* Valleriola, Loc. Medicin. Commun. L. III, C. XVIII. p. 870. *ut, in corrumpendo animante, moras venenum trahat, ac non potius ubi aſſumtum eſt & in viſceribus conditum, mox animal corrumpat ? Quod enim adeo potens eſt, ut a virtute corporis domari, aut vinci nequeat, (cuiusmodi venenum eſt) id ſane confeſtim exercere vim ſuam, ſeque in actum deducere ſolet, ut fieri poſſe minime videatur, ad certum quoddam & præfinitum tempus venenum opus lethale ſuum differre. Verum ſi & gravium & præiudicatæ auctoritatis virorum ſenſa paulo penitius expendamus : ſi & demonſtrationum vim, experientiæ fidem, cui uni porpetuo, in rebus diiudicandis, eſt inhærendum; inveniemus profecto ita retundi ac reprimi veneni citum opus poſſe, ut celeritati tarditas, & præcipiti letho diuturnus languor ſuccedat : ita ut, temperamento quodam refracto veneno, poſſit, in præfinitum quoddam latitudine tempus, illius vis atque effectus protrahi.* Et p. 877. *Nam etſi natura, pernicie & proprietate quadam homini adverſaria venena noceant, patitur tamen hæc pernicies &* calcar, *ut celerius operetur, &* frænum, *ut tardius. Concitari enim, aut tardari aliorum permixtione poteſt.*

agat ? in aliis vero citius, in aliis tardius expergiſcatur ?

Ratio tum in veneni diversis malignitatis gradibus, tum subiectorum ad recipiendum habilitate quaerenda,

§. XXV. Quæ omnia si perpenderimus, non adeo difficile fuerit, rationem desideratam hic invenire. Quod si enim venenum mitius nec adeo exasperatum, vel etiam paulo sæpe asperius in corpus bene temperatum delatum fuerit, cuius humores minus corrupti & laudabiles placida, æquabili, concordi contemperatione & motu statum suum tuentur, & veneni partes nocivas sibi minus convenientes respuunt nec in consortium recipiunt, re infecta illud recedit: aut etiam si aliquo modo admissum in serosa aquea substantia fluctuet, ipsa tamen sanguinis mixtio & molecularum eundem constituentium atque in mutuos amplexus tota sua textura ac proportione conspirantium copulatio naturalis compactior sit & firmior, quam ut ab irruentibus venenatis spiculis dissolvi aut turbari possit, irrito conatu rursus excernitur. Verissime *Galenus, de diff. Febr. L. 1. c. 2. Oportet*, inquit, *semper memoria tenere, quod nulla causarum sine patientis habilitate agere possit, alioquin omnes pestis tempore morerentur. Causarum namque externarum virtus hebescit, ubi nihil auxiliatur domesticus apparatus abestque corporis* ἐπιτηδειότης *ac passiva propensio ad morbum.* Atque hinc etiam in insitione variolarum in vanum sæpe cedit labor, sicuti Anno 1723. in Anglia, in 29. Anno 1724. in duobus subiectis frustra institutam fuisse insitionem, ex relationibus fide dignis percepimus. Quodsi vero humores non ita temperatos offendat, infidam mixtionis societatem, texturam atque crasin facilioris admissionis, conveniensque sodalitium, partesque in similem pravitatem pronas ac propendentes: quid mirum, si externus hostis validus & formidabilis ex intestinis in civitate dissidiis fructum capiat, atque allectis & adiunctis sibi perfidis civibus scopum deleterium promptius & citius obtineat? Si venenum hoc in corpus quidem recipiatur, sanguinem tamen mitiorem, lentiorem, consi-

stentiæ

ſtentiæ tenacioris inveniat, qui, partibus in ſimilem corruptionem non facile pertrahendis, inſultibus ipſius quodammodo, magis vel minus, reſiſtit eiusque acrimoniam reprimit, retundit: aliquamdiu ſine evidente noxa in eo deliteſcit, donec aſſidua ſpiculorum in conglobationem elementorum ſanguinis nitentium luctatione, arietatione, concuſſione, pertractis in partes ſuas & corruptis ſenſim ſenſimque quibusdam moleculis laxioribus, minus reſiſtentibus, perrumpat, ſublatisque victricibus ſignis vim deleteriam undiquaque diffundat, idque citius, tardius, pro ratione reſiſtentiæ ſuperandæ, quæ pro diverſitate naturæ, conſtitutionis, temperiei diverſa eſt. In phlegmaticis, ſegnioris, torpidioris naturæ, diutius latere poteſt, quam in cholericis, agilioris corruptibilioris indolis. Vnde facile deducitur, cur ab eodem cane commorſi, alii duobus, alii quatuor menſibus, alii tardius, rabie correpti fuerint?

§. XXVI. Neque enim venenum hoc, quod recte monet *Galenus, Epid. comm. 3. text. 25.* per longum temporis ſpatium in ſanguine latitans ibidem otiatur & quieſcit, licet ſui notitiam non prodat; ſed non depoſito nocivo charactere cæca vi & poteſtate operatur continuo, & licet ob cauſas memoratas morboſam diſſolutionem & corruptionem excitare, malignamque quaſi fermentationem accendere nequeat, gliſcit tamen, quaſi ſub cineribus ignis, ſanguinisque craſin & mixtionis ordinem, tanquam cauſa προηγȣμένη, ita diſponit & pervertit, illumque vitioſo charactere imbuit, ut accedente cauſa procatarctica vel occaſionali, quæ latentem diſpoſitionem morboſam in actum deducit, aut veneno latenti occaſionem perrumpendi & ſe explicandi præbet, peſſima cauſa prorumpat atque malum in luculentum motum & flammam quaſi exſuſcitet; plane ut maligna variolarum cauſa per longum imo longiſſimum

Venenum hoc in ſanguine latens non plane quieſcit: ſed gliſcit velut ſub cineribus ignis.

ſæpe temporis ſpatium in corpore occulta quidem latet, eam tamen diſpoſitionem & habilitatem eidem inducit, ut data occaſione, adveniente cauſa procatarctica, interna, externa, malum evolvatur & morbus in actum erumpat. Ex quo aliquo modo perſpicere licet, qua ratione in Nobili illo, cuius §. IX. mentio facta fuit, venenum hoc rabioſum, poſt duorum annorum decurſum, inter amplexus ſponſæ, veneris fervore exſuſcitatum fuerit.

In inſidiis latet.

§. XXVII. In inſidiis latere venenum hoc ſemperque mali quid moliri & machinari in corpore eidemque magnam alterationem inducere, inprimis docet obſervatio ***Abel. Roſcii*** apud ***Hildanum l. ſupra cit.*** de matrona quæ a cane rabido in brachio morſa, ſopito per auxilia medica, non deleto malo, ſeptennio elapſo tam ſæva ſymptomata ſuſtinuit, ut, relicta ſalutis ſpe, morti proxima iudicata fuerit; quæ ſymptomata, medicamentis ſopita, ſeptennio elapſo cum vehementia recruduerunt: tum poſt ſexennium redierunt. Anno ſequenti rurſus iisdem tentata fuit. Deinde ſingulis annis bis vel ter repetiit malum, brevioribus tamen paroxyſmis. In omnibus temporum mutationibus vellicari ſibi brachium cum acerbis doloribus perſenſit. Ita Celeberr. ***Lentilius*** obſervavit, ex quinque a cane rabido commorſis & curatis unum ab eo tempore, quo morſus erat, ſolito triſtiorem fuiſſe. *l. c. p. 50.* Simili modo Tarantulæ veneni ſemina adeo alte incoqui humoribus, ut vix deleri poſſint, & ſemper ad mortem comitari demorſos, imo Tarantulæ venenum ſemel corpori illatum indelebile eſſe in poſterum, ***Baglivus*** auctor eſt. *l. c.* qui & hoc addit, illud ſingulis annis, quando calor ſolis ardentius exurere incipit, infallibiliter recrudeſcere: (quod & ***Ludovic. Valetta***, ***Opuſc. de Phalangio Apulo L. II. C. 3. & 7.*** aſſeverat veneníque reliquias in ſanguine ſuperſtites per decem & plures

res annos, eodem tempore quo morſus Tarantulæ primum inflictus fuit, nova illius effervescentia, ab aëris ambientis calore, inducta, novas acquirere & exſerere vires perhibet :) & ſi tarantatus certis cibis carne vervecina, cucumere aut citrullo utatur moleſtiſſimo illum dolore ventriculi affici. Vt proinde non adeo mirum videri debeat, ſi rabidi animalis venenum indelebilem quoque characterem humoribus imprimat & ad morbum periculoſum ab alia cauſa, data occaſione, excitandum, diſponat. Hinc in Iuvene Francofurtenſi apud laudatiſſimum *Lentilium l. c.* motibus convulſivis alias obnoxio, & a cane ante tres menſes demorſo, diſpoſitionem morboſam, ſive a cauſis convulſionum, quæ tamen per aliquot annos ſopitæ delituerant, ſive a cane, de cuius rabie tum non conſtabat, inductam, ab exhalationibus equi, quo per horam vehebatur, Coryza laborantis, (das ſ. v. rotzig geweſen/) intolerabilem fœtorem producentibus, & in relatione quidem ad equos manifeſte contagioſis, fuiſſe excitatam, ut in hydrophobiam eruperit, nullum fere dubium eſt. Si verum eſt, quod de ſorbo arbore, corno item & ſanguinaria Auctores tradunt, quod, ſi commorſi a rabido animali ſub iis verſentur aut dormiant, aut ſurculum ſaltem ex illis tangant, recidivam illos pati & in hydrophobiam incidere, prout *Guainerius de venen. cap. 12.* exemplum recenſet, ubi per octodecim annos latens venenum, cum morſus ſub umbra ſorbi maneret, ex ſuſcitatum fuit atque ægrum intra triduum enecavit ; ſi inquam vere res, ſub iis quæ hic circumſtant conditionibus, in facto ita ſe habet, cauſa non in ſympathia aut antipathia oculta quærenda eſt, ſed in effluviis & halitibus harum arborum & plantarum, pro eſſentiali partium diſpoſitione & motu certam relationem ad corpus animale a veneno iam diſpoſitum habentium atque cau-

ſam

ſam malignam excitantium, vel eidem, ſanguinem quodammodo commovendo, afficiendo, occaſionem perrumpendi atque vim ſuam apertius, & vehementius exſerendi præbentium, facile inveniri poteſt.

Expergefactum quid agat?

§. XXVIII. Expergefactum venenum hoc cum fluidas tum ſolidas corporis animalis partes aggredi & utrisque vehementia deleteria vim inferre, ex ſupra dictis in §. XV. iam ſatis apertum eſt; illarum ſc. craſin, mixtionem, partium conſtituentium concordiam, ſoluto amicæ coniunctionis vinculo, turbando: has vero penetrante & cauſtica acrimonia exſtimulando & ad ſpaſmodicas, convulſivas contractiones ſolicitando. Quo dato atque perſpecto in proclivi erit, omnia ſymptomata, quæ hic obveniunt, evidenter, cauſali connexione, inde derivare. Enimvero ſanguinis ſoluta compage, dum partes gelatinoſæ & craſſiores in lentorem fibrasque concreſcunt, eiectis extra mixtionis ordinem diluentibus aqueis, &, quæ totam maſſam placide agitabant, mobilioribus ſalino volatilibus oleoſis, fieri aliter nequit, quin lentor in arteriis capillaribus difficilius transprimatur, atque in illis quaſi hærens, in toto habitu tenſivum & moleſtum ſenſum producat. Cumque ipſa illa moleſta ſenſatione anima exagitata genus nervoſum conſtringat, idque eo magis, cum hoc ipſum ſimul a veneni acerbitate ad ſpaſmodicam contractionem exſtimuletur; neceſſario oritur contractio & expulſio cordis velocior & vehementior, atque ſimul aucta in capillaribus reſiſtentia, repulſus verſus cor & vaſa interiora maiora: unde diſpoſitio febrilis, oppreſſio pectoris, reſpiratio difficilis, anheloſa, anxietas præcordialis, ſuſpiria, mœſtitia, palpitatio cordis; cumque ea ipſa ſanguinis regurgitatione vehementior commotio inteſtina, cum aliquali rarefactione, partibus mobilioribus in lentorem arietantibus, exoriatur, at-

Ratio ſymptomatum.

Diſpoſitionis & motuum febrilium.

que

que ſanguis viſcidior quodammodo expanſus in maiori copia ad caput propellatur, eoque ipſo vaſa diſtendantur, cerebrum quodammodo opprimatur; non mirum, ſi, depravato ſic tono cerebri, melancholicorum mores ægri imitentur, de vertigine, caligine oculorum conquerantur, & tamen, ob nimiam intenſionem nervorum in oculis, lumen ſine moleſtia ferre nequeant. Et quia nervi magis adſtricti continuo ſtimulo acriori incitantur, non poſſunt non ſubſultare & contremiſcere: unde artuum tremor, atque, accedentibus, in cerebro ſtrictiore, irruentis ſanguinis viſcidioris, vehementius tamen exagitati & rarefacti, impulſibus concitatioribus, inquietudo, iracundia, ſomnus inquietus pavoribus plenus. Quia etiam muſculi virium humanarum fundamenta ſunt, roburque ſuum ab alterno æquabili fluidi ſanguinei & nervei influxu recipiunt; in promptu cauſa eſt, quamobrem laſſitudo & membrorum gravitas corpus occupet? quandoquidem, in illo ſpaſmodico corporis & turbato ſanguinis ſtatu, influxus ille utriusque liquidi æqualis & liberior fieri nequit, quin potius aucta per conſtrictionem reſiſtentia, compulſo tamen, ab aucto ſimul cordis motu, & irruente, valido conatu, in arterias, quæ muſculos, membranas, cæteraſque partes peragrant, ſanguine craſſiore, infarcit vaſcula lentor, qui ſimul turgeſcens, horum diſtentione, fibras muſculorum cæterarumque partium premit, tendit, divellit, triſtemque adeo & moleſtum ſenſum adfert: & quoniam coanguſtatis per conſtrictionem ſpaſmodicam & compreſſis vaſculis ſanguinis lenteſcentis vividiores adhuc & caleſcentes undæ reprimuntur, atque ita calor ſufficiens per exteriora diffundi nequit, exterior habitus frigeſcit; dumque colliquatum ſerum fluidius ſeceſſionem a ſanguinis coagulo faciens, aditum adhuc invenit, atque exprimitur, ſudore frigido madefiunt ægri. Cumque pars morſu antehac quaſſata, vul-

Melancholia, & vertiginis.

Inquietudinis, & ſomni pavoribus pleni.

Habitus exterioris frigidi.

 nerata

nerata, distractis disruptisque fibris, &, cum a terrore in hanc ipsam partem directo ac determinato, tum ab acrimonia venenosa, præter naturæ modum constrictis, nec illi, quo antea cohærebant, ordini restitutis, debiliorem ac sensibiliorem habitudinem contraxisset: facile apparet, cur in illa partium solidarum exagitatione, fluidarumque huc illuc compulsarum & irruentium impulsu, in ista parte inprimis sensatio molesta & dolor excitetur atque exinde per alias partes evagetur & se diffundat.

Doloris in parte antehac læsa.

§. XXIX. Atque ita porro quæ reliqua sunt symptomata ex invalescente spasmodica partium nervosarum & fibrosarum contractione facile ducuntur. Inde enim oriuntur in toto corpore pandiculationes, tensiones, membrorum subsultus, convulsiones, febris, languor insignis. In musculis & organis respirationi inservientibus, in diaphragmate, violentæ constrictiones: unde respiratio difficilis & anxia, singultus. In ventriculo gravitas, appetitus deiectio, cardialgia, vomitus. In corde palpitatio: unde pulsus inordinatus. In hepate bilis expressio. In partibus genitalibus priapismus. Cumque, sub vehementiore habitus exterioris constrictione, sanguis exagitatus, turgescens ad interiora compellatur validisque crebrius iteratorum impulsuum & repulsuum succussibus ibidem incalescat, interiora uruntur, dum exteriora frigent; & quia sanguis ita compulsus & incalescens cordis concitatioribus contractionibus, membranarumque in arteriis renitentium elatere continuo urgetur, eo ruit ubi minor est resistentia, & ad capitis inprimis interiora congeritur, ubi pressura, distentione, inconditis, inordinatis impulsibus, stagnatione, non solum exagitationes nervorum spasmodicas & convulsivas constrictiones auget, sed & totum musicum quasi cerebri opificium in tono & tensione pervertit, unde ideæ materiales inordinatæ, hisque congruentes immateriales, ima-

Pandiculationum, tensionum &c.

Affectuum pectoris, ventriculi &c.

Spasmorum & convulsionum.

imaginationis depravatio, repræſentationes animæ & cogitationes perverſæ, deliria vel continua, vel, pro diverſa cauſarum remiſſione, aut concurrentium in adverſum niſu, dilucidis intervallis interrupta, tandemque increſcente vehementia, exagitationes convulſivæ graviores, mentisque, in illa perverſitate, impulſus importuni, ferocia, rabies. Sanguis valido impulſu ad caput congeſtus, in illa ſpaſmodica partium atque etiam colli conſtrictione, per venas compreſſas tam facile revehi nequit: unde in arteriis faciei quoque congeritur easque diſtendit: hinc facies & oculi, a ſpaſmodicis iam tenſionibus torvi, quaſi ardent, & cum, in omni difficiliori ſanguinis per venas regreſſu, ſerum in vicinis excretoriis copioſius ſecedat, quod *Lovverianis & Nuckianis* experimentis exploratum habemus, non mirum fuerit, ſi, in illa ſanguinis & motuum perturbatione, ſerum fluidius & ad ſeceſſum proniſſimum copioſius per oculos, vaſa ſalivalia, ipſaque ſudoris vaſcula exprimatur, atque ſaliva, partium conſtrictionibus quaſſata, & ab aëre ſub anxia reſpiratione citatim ultro citroque commeante ſuccuſſa, ſpumas agat: dumque, tum ob conſtrictionem, tum ob lentorem inviſcantem & acrem, læditur aut cohibetur ſecretio lymphæ os, fauces, ventriculum irrigantis, atque æſtus interioris vi lympha illa fluidior, quæ conſtrictione exprimitur, difflatur, partes illæ exſiccantur, ſuccique vel halitus tantum acres, ebullientes calidique e ſanguine mittuntur, intusque agentis caloris & fermenteſcentium ſuccorum vi ſicciores, acres, calidæque partes per gulam cannamque pulmonalem diſtribuuntur, quorum acie & agitatione villi ſenſiles vehementius exſtimulantur, finduntur & fatiſcunt; ſitis intenſiſſima & valde moleſta excruciat ægrum, quam quidem moleſtiam inflammationes ventriculi, faucium, pulmonum partiumque vicinarum augent.

Imaginationis depravatæ & deliriorum.

Seceſſus & excretionis ſeri.

Sitis.

Hh 2 §. XXX.

§. XXX. Eoque ipſo, quando lympha ſubtilior ubique a ſanguine ſecedit atque intenſiore æſtu diſſipatur, conſumitur, halitusque ſicciores, acriores undiquaque per partes difflantur, totum corpus exſiccatur, emaciatur, conſumitur, partes & membranæ, ob defectum oblinentis humidi, coaleſcunt, atque a permeantibus halitibus acrioribus, igneis fiſſæ quaſi & pereſæ fatiſcunt, ut digitis poſſint radi & conteri: aut etiam hinc inde corrugantur, ut corium ab igne: canales, œſophagus, inteſtina coanguſtantur, conſtringuntur. Et quia maior lentoris fermenteſcentis copia interioribus in partibus & viſceribus inſidet, nec minus aliis hinc inde in partibus, ubi minor eſt reſiſtentia, congeſta arterias infarcit, atque a preſſura ſpaſmodica identidem urgetur, variæ inflammationes gignuntur, quæ ad putredinem vergentibus corruptis acrioribus humoribus interceptis, (dum obice poſito, impulſu repulſuque partes quaſſantur, caloreque ex colliſione aucto, &, arctius compreſſis denſiusque congeſtis, intenſiore ac flammigero reddito, eliquantur ac putrorem nanciſcuntur,) in gangrænam demum & ſphacelum abeunt. Obice iſto in arteriis poſito etiam efficitur, ut, coacervato ſanguine in arteriis atque negato refluxu per venas, iſtæ plenæ, hæ vacuæ quaſi reperiantur: & quia cruor in iſtis iugiter ſuccutitur atque exagitatur, qualemcunque etiam fluiditatem retinet, neque, ob lymphæ agiliores, acriores & igneas partes, tam facile coagulabilis eſt, ac ille in venis, ubi deficiunt ſuccuſſus & quaſſatio.

Inflammationum.

Cur arteria ſanguine fluidiore plena, vena vacua?

§. XXXI. Venenum hoc in ſero ſalivali atque huic ſimilibus humoribus, liquore qui œſophagum rigat & commulcet, & quem ventriculi acini glanduloſi vel apices contortuplicati arteriarum promunt, lymphaque inteſtinali, conveniens hoſpitium & conſortium in ſimilem pravitatem

tem & ſtatum nocentiorem facile erigendum invenire, §. XVII. iam memoravimus; unde potiſſimum ſenſibiles faucium, œſophagi, ventriculi, inteſtinorumque membranas intimius cum illis pervadere easque peredere quaſi, facile apparet: hoc ipſo vero non poteſt non fieri, quin fibras earundem, dum exſiccantur ab æſtu, acerbitate ſua ſimul ſtringat, diſtringat, atque naturalem tenſionem ac tonum illarum inſigniter pervertat. Cum vero omnis ſenſatio motu fiat harmonico, quo nervi ut fides tenſi vibrantur, *vid. Introduct. noſtr. in Phyſic. recent. p. 167. & 643.* conf. *Aequilibr. ment. & corporis p. 47.* nullo negotio perſpicitur, convenientem naturalem & harmonicam fibrillarum nervearum in partibus tenſionem, ſi obiectum agat in organum, naturalem concentum in cerebro producere, cui conveniens ac conſona in anima repræſentatio aut perceptio, ut vocant, reſpondet: Perverſam vero, diſcordem, & ab harmonica ratione longe recedentem tenſionem, perverſam quoque impreſſionem, repræſentationem & perceptionem inferre, ita quidem, ut quod in organo recte diſpoſito & conſonante gratam atque acceptam impreſſionem producebat, & proin omni modo tanquam utile, proficuum & ad depellendas moleſtias idoneum expetebatur, iam in perverſo & diſſonante, perverſa, h. e. ingrata & adverſa ſenſatione animum terreat, ut illud tanquam ſumme moleſtum & nocivum perhorreſcat, averſetur & fugiat. Quod ut ratio docet, ita plurimis obſervationibus in Pica, Malacia, Idioſyncraſiis, averſatione carnium in febribus malignis, aliisque appetitus depravationibus a cauſis manifeſtis, itemque in Tarantatis ſive a Tarantula ictis, qui certis coloribus delectantur, aliis vero graviter afficiuntur, ita quidem, ut, illis conſpectis, angore cordis cum reliquis

Ratio perverſæ impreſſionis & repræſentationis.

ſymptomatibus recrudeſcentibus corripiantur, teſt. *Bagliv. l. c.* illuſtrari & confirmari poteſt.

§. XXXII. Exinde vero nulla difficultate ratio deducitur, quamobrem in hoc perverſiſſimo naturæ animalis ſtatu, æger, licet, cum magna ſiccitate, perpetua & intenſiſſima ſitis fauces teneat, tamen aquæ & humorum, quibus ſitis depelli poſſit, metu crucietur, ſitiat & ſitim reſtinguentia reformidet: ita ut humores nec intueri, nec contingere, nec tranſire, nec ſtrepitum eorum audire, nedum eosdem potare queat? Scilicet perverſo & ab harmonica diſpoſitione multum deficiente, aut plane deiecto organo efficitur; ut non niſi inconditæ vibrationes in eo producantur, atque, harum occaſione, ſimiles, h. e. perverſæ, alienæ repræſentationes & perceptiones in mente, & imaginatio perverſa ac depravata oriantur, ita quidem, ut, licet mens in abſtractione a ſenſu, multum ſæpe adhuc pellucente lumine ſuo, videat meliora probetque, & corrigere ſe ac ad ſuperandam imaginationem excitare videatur; tamen ubi ſenſus rurſus concurrit, deteriora ſequatur, atque id, quod utile eſt, averſetur & fugiat. Nempe idea materialis hic exſuperat, & organa depravata non poſſunt ideæ mentali promte obedire, h. e. in conſpiratione & harmonia mentis & corporis idea materialis perverſa fortior ſibi convenientem, i. e. perverſam & fortiorem ideam mentalem excitat & mentem quaſi abripit: & licet, nondum infractis plane, aut impeditis potius, viribus mentis, neque extincto omni mentis lumine, idea quædam mentalis utcunque adhuc ordinata & rationi conveniens ſubinde ex aliis cauſis proveniat, prior tamen a corporeo organo excitata & adhuc, cauſa perſiſtente, perdurans fortior hanc ſuperat, repellit & excludit, neque organum corporeum, quod tamen in eiusmodi repræſentatione neceſſa-

Hydrophobia ratio.

cessarium est, ob depravatam constitutionem secundum naturam, h. e. recte & ordinate, conspirare potest. Haud aliter ac si quis, ex idiosyncrasia, aut naturali aversatione a medicamentis, vino, caseo, similibusque rebus abhorret: is licet & necessitatem & utilitatem probe perspiciat, intelligat atque sumto animo errantem imaginationem superare aut fallere conetur, tamen, quamprimum illæ res sensum feriunt, & sensus fallaciam deprehendit ac detegit, aliam mentem quasi induit, easdemque cum horrore respuit & exspuit. Aliter enim iudicat mens in abstractione a sensu, aliter in actuali commercio & harmonia cum sensu, sive affecta a sensu, aut occasione sensus. Vt proinde non opus sit duplicem exinde in homine animam, secundum quorundam opinionem, comminisci: cum unum idemque principium possit aliud intelligere, probare & velle, & aliud tamen postea actu velle ac sequi. Aliud enim intelligit & vult sibi relictum. Aliud deinde vult, quando sensus, tanquam consiliarios, audit atque ab iis impellitur & instigatur, eorumque consiliis & suggestionibus movetur.

§. XXXIII. Quod vero ab aqua visa tantum & audita, etiamsi immediato contactu organum non percellat, abhorreant, exinde est, quoniam, cum sola saliva in sensu iam magnam molestiam, aversationem & fastidium producat, sive hoc fiat sola impressione saporis aquosi, sive acrimonia simul venenata, caustica, omnes humores tanquam rem noxiam & detestandam concipiunt, unde quamprimum illos vident vel audiunt, eosdem reformidant, imaginatione regrediente ad sensum. Quod eo minus mirum hic videri debet, quo frequentius idem vel simile quid, in subiectis cætera sanis, tenerioris & delicatioris constitutionis, incitatiore imaginatione aut certa idiosyncrasia

Cur ab aqua tantum visa aut audita etiam abhorreant ægri?

ſyncraſia præditis, obſervamus, quando viſa vel audita aut per recordationem occurrente ſaltem re adverſa, nauſeoſa, abominanda, nauſeam, ventriculi commotionem cum ſalivæ expreſſione & affluxu, ac vomitum aut ſpaſmodicas nervorum tenſiones, contractiones, cum cardialgia, anxietate, animi deliquio, & magna moleſtia patiuntur.

Cur ſplendida & pellucida non ſuſtineant?

§. XXXIV. Et hinc quoque ratio facile perſpicitur, cur pellucida, & ſpeculi in modum reflectentia aut ſplendida non ſuſtineant, quia in animi illa perturbatione, in illis aquæ formam ſe videre opinantur. Accedit, quod nervi oculorum intumeſcentium & quaſi ardentium nimium intenſi a lumine reflexo, ſplendidiore, vehementius, non ſine magna moleſtia, irritentur, unde & omne ſæpe lumen averſantur.

Ratio Ioſeph. ab Aromatariis expenditur.

§. XXXV. Hæc ſi conſideraverimus, facile perſpicere & iudicare licebit, quo loco habenda ſit *Cel. Ioſeph. ab Aromatariis, Medic. Veneti,* ſententia, qui, qua valuit tum experientia, tum ingenii acumine ſingulari, in id conſcripto tractatu *de rab. contagioſ.* ex omnibus phænomenis curioſius obſervatis declarare allaboravit, Hydrophobos faucium inflammatione certaque quadam anginæ ſpecie, nempe κυνάγχη laborare, unde dum dolentius deglutiunt, acri doloris morſu territi, horreant liquorem deglutiendum; qui morbus cum canibus ſit frequens, unde etiam nomen accepit, inprimis illos in rabie infeſtet, & una cum illorum veneno in hominem transferatur. Scilicet illud negari nequit, prout febres ardentes & malignæ aliquando anginam ſibi adſciſcunt, ita hanc quoque hydrophobiæ ſæpe iungi tanquam effectum malæ cauſæ, quæ tonum in partibus, ubi appetitus liquidorum ſedem habet, perverterat atque cum hydrophobia hoc ſimul mali genus induxerat: prout hanc ipſam communem cauſam inflammationem in ventriculo, inte-

inteſtinis, pulmonibus, produxiſſe, ex obſervationibus ſupra adductis evidens eſt. Poſſe etiam eiusmodi inflammationes tum ventriculi, tum, præſertim, faucium, in ſubiectis diſpoſitis, hydrophobiæ occaſionem præbere atque ad harmonicam partium tenſionem pervertendam, deſtruendam plurimum contribuere, nemo ſanioris Phyſiologiæ medicæ peritus negaverit. Vnde ratio fluit, cur in Iuvene, cuius ſupra §. V. mentionem fecimus, qui paſtillos farinaceos ferventes ingurgitaverat, atque ſuperbibita aqua glaciali refrigerium quæſiverat, hydrophobia enata fuerit: ut proinde non plane de nihilo ſit vulgaris illa cura & ſollicitudo, quando formula dicendi increbuit: **Man ſoll denen Hunden nicht ſo heiß zu freſſen geben / ſie würden ſonſt toll und raſend.** Nempe quicquid harmoniam organi pervertit hoc malum adferre ſolet, ut mirum videri non debeat, ſi uteri morbis, graviditati morboſæ, febri malignæ, aut ſimilibus affectibus ſpaſmodicis, dyſenteriæ ſuppreſſæ hydrophobia ſupervenerit. In his enim affectibus atoniam aut perverſitatem toni ventriculi, inteſtinorum, gulæ partiumque cohærentium oriri poſſe quis rei medicæ peritus ignorat. Interea illud quoque extra dubium eſt, non in omni hydrophobia adeſſe anginam, & proinde hydrophobiam a ſola faucium inflammatione non proficiſci. Præterea hydrophobi ſolida ſæpe utcunque adhuc deglutiunt, eademque nullo modo perhorreſcunt. Anginoſi vero in deglutiendis ſolidis maiorem difficultatem inveniunt; ut, ſi ille metus a moleſtia & dolore acri ſub deglutitione exoriretur ſolida magis horrere deberent quam fluida. Hydrophobis & cynanchicis plurima & graviora quidem ſymptomata eſſe communia, facile concedimus viro doctiſſimo: ſed hæc a communi cauſa maligna, febre, inflammationibus internis, ſpaſmis, congeſtione ſanguinis ad caput, oriuntur:

untur: neque ex illis ulla ſolida ratione demonſtrari poteſt, anginam, tanquam effectum cauſæ communis, eſſe cauſam primariam hydrophobiæ, quæ tanquam alius effectus ab eadem communi cauſa procedit.

Fracaſterii ſententia vero propior.

§. XXXVI. Propius ad rei veritatem acceſſiſſe videtur *Hieron. Fracaſtorius*, Philoſophus & Medicus Veronenſis celeberrimus, *de morb. contag. L. 11. c. 10.* quando, de cauſis hydrophobiæ diſputans, tantum gradum ſiccitatis vi veneni canis rabidi induci corpori hydrophoborum exiſtimat, ut prorſus tollatur natura ſive forma illarum partium, quæ alias naturali ſiti afficiuntur. *In rabie*, inquit, *facta exſiccatione tanta, ut iam natura propria collapſa ſit, & quæ prius uti convenientia & bona recipiebat, nunc uti contraria & horribilia recipit, non ſolum potus liquidorum omnium, ſed etiam phantaſia abominationem parit. Exſiccari autem rabie affectos manifeſtum eſt, cum etiam in convulſiones ex ſiccitate incidant.* Neque penitus a via aberrarunt ex veteribus plures, qui depravare venenum hoc phantaſiam dixerunt, dum calidiſſimam & ſicciſſimam corpori intemperiem inducit. Nempe eo ipſo multum contribuit ad harmoniæ in ſenſu depravationem. Scilicet in caliditate & ſiccitate ὕπαρξιν τȣ̃ λυσσήματος minime eſſe poſitam, faventibus tamen iſtis qualitatibus expeditiorem eſſe huius morbi generationem, recte iudicat *Anton. Meniotius, in Diſſ. Pathol.* Nec inepte experientiſſimus *Foreſtus*: *Morſi*, inquit, *a cane rabido hominis paulatim* habitudo *mutatur, humores ſenſim melancholici fiunt: vigiliæ variæque cogitationes & mentis alienationes oboriuntur, metusque aquæ tum reliqua ſigna iam ſupra dicta adſunt. L. X. Schol. ad Obſ. XXVIII.*

Diagnoſis.

§. XXXVII. Dignoſcitur morbus a veneno hoc, ſive in corpore genito, ſive aliunde recepto, prognatus, atque ab aliis ſimilibus diſcernitur diligenti obſervatione & penſi-

pensitatione symptomatum supra fusius expositorum, omniumque quæ circumstant conditionum. Signum imminentis rabiei, post morsum & ulcus per plures dies, menses, iam sanatum, tanquam præcipuum & infallibile, experientia confirmatum proponit *Palmarius*, quando dolor in loco commorso incipiens, leviterque ægrum affligens, a parte ad partem, spatio trium aut quatuor dierum, aliquando plus aliquando paulo minus, ascendit ad caput, & in eo vertiginem & confusionem quandam producit, ita ut æger recte progredi nequeat, sed vacillet & modo in hanc modo in illam partem declinet: tum enim hominem actutum in rabiem abripi affirmat. Ad explorandum vero num morsus canis vel animalis sit venenatus nec ne? vulgo, *ex Galeni* præcepto, nucleos nucis iuglandis vulneri imponunt, & aliquot horis ibi relictos ac postea ablatos gallo vel gallinæ devorandos obiiciunt, si superstites aves manserint; animal quod momorderat rabie percitum non fuisse, si vero postera die pereat, omnino rabiosum fuisse iudicant. Hoc experimentum aliquoties iterandum esse iubet *Galenus*. Alii ex sanguine e vulnere profluente & farina offam faciunt, eandemque, eundem in finem, gallinis proiiciunt. Medullam panis alii sanguine vel humore e vulnere manante inficiunt atque cani edendam offerunt, a cuius esu si vel abstineat, vel si comedat, rabidus fiat, aut moriatur, vulnus ab animali rabido inflictum fuisse concludunt. Num experientia semper conspiret, nondum satis cognitum habemus. Num etiam his experimentis tuto fidere possimus, quilibet ex iis quæ supra §. XI. diximus iudicare poterit.

§. XXXVIII. Quantum vero ad Prognosin attinet, *Prognosis.* nullus animalis rabidi morsus parvi pendendus, atque ideo minime negligendus est. Affectum enim & symptomata inducit

cit periculosissima. Licet enim, quod supra iam tetigimus, venenum, nondum adeo exaltatum & vehemens, in subiectis quoad crasin partium fluidarum tonumque solidarum bene constitutis, in vulneribus levioribus nec adeo profundis ferociam suam non ita prompte exserat, atque remediis simplicioribus adhibitis sæpe superetur, quod ipse quoque aliquoties expertus sum. Vnde Illustr. *Wedelius* rarum dicit esse inter nos affectum, *siquidem citius soleamus bezoardicis debitis rem expedire :* in *Exercit. Semiot. Pathol. Molestissimum genus morbi, quo multos anteaquam ipsum experirentur vindicavimus & complures ab aliis Medicis servatos novimus*, inquit *Dioscorides*, *L. VI. c. 36.* confer.. *Forestus, Obs. L. X. Obs. 28.* In aliis tamen casibus, conspirantibus pluribus causis remotis, indomita vi sæpissime procedit, atque, præstantissimis medicamentis incassum applicatis, funestissimos effectus producit. Rationem supra §. XX. iam tetigimus. Minutiæ enim veneni in celerrima motione & actione constitutæ, ad moram vel quietem sunt ineptæ, unde nec mutari nec ligari vel irretiri se patiuntur, atque ubi semel caput extulerint, & mixtionem, consociationem ac concordiam sanguinis molecularum destruxerint ac turbaverint, ad putredinalem usque dissolutionem, tum a privatione ad habitum non datur regressus, nec partes solidæ spasmis constrictæ atque exagitatæ, inprimis in tanta fluidarum dyscrasia, facile sopiri possunt. Si per vulnera ori inflicta, aut alia ratione venenum in salivam translatum fuerit, promptius inficiuntur ægri & periculosius laborant ; ratio ex iis quæ §. XVII. memoravimus facile perspicitur. Si hydrophobia, cum gravioribus symptomatibus, spasmis convulsionibus, singultu, syncope cum sudore frigido accedat, nulla fere reconvalescendi spes superest. *Aquæ metu oppressis in angusto spes est*, inquit

Cur malum hoc sæpissime, ubi altas radices egit, sit immedicabile?

inquit *Celsus*, *L. V. c. 27. §. 2.* conf. *Dioscorides*, *l. c.* Non desunt quidem exempla hydrophobiæ quoque curatæ apud celebriores Practicos & ipsum quoque, *Dioscoridem l. c.* rariores tamen sunt eiusmodi observationes, atque malum in illis casibus nondum altas radices egit, neque horror a liquidis adeo magnus fuit, ut nauseasse magis quam horruisse aquam ægros credibile sit; quod inprimis de Iuvene apud *Deckerum, Exercit. Pract. pag. 567.* monet experientissimus *Lentilius, de hydrophobia p. 49.* Si iam aperto Marte venenum insurgat, atque malum in luculentam flammam, cum rabie & hydrophobia, erumpat, mira celeritate velocique discrimine defungitur, ita ut raro ultra tertium vel quartum diem ægri sint superstites, atque hinc non opus sit officiosa illa inhumanitate, aut crudelitate potius, qua ineluctabilem ægrotantium interitum, suffocatione inter culcitras vel alio modo, prævertendum vulgo existimant. *Etiam ubi remedium est mori, scelus est occidere.*

§. XXXIX. Ex iis vero quæ de natura & ratione agendi huius veneni iam fusius tradidimus, haud difficulter colligere licet, quid agendum sit prudenti Medico, ut malum imminens arceat, aut iam erumpens repellat ac profliget. Scilicet id negotii ipsi datum esse quilibet intelligit: ut (1.) quantum fieri potest venenum removeat, repellat & excutiat: (2.) ut mixtionem ac crasin sanguinis amicamque partium & molecularum consociationem & concordiam tueatur, sustineat, ac conservet, & hanc (3.) non minus ac totum corporis habitum contra deleterios insultus obfirmet: (4.) venenum quantum possibile irretiat, infringat & extra pomœria corporis proscribat atque eliminet. *Therapia.*

§. XL. Quoad primum; vestimenta & omnia quibus venenum adhærere potest sunt abiicienda & caute vitanda, *Prima indicat. ut satisfieri possit?*

da, atque pars commorſa cum vulnere probe abluenda, extergenda, & quidem aceto rutaceo, ſquillitico, alliato: deinde ligaturæ, ſupra vulnuſculum, ſcarificationes profundæ cum cucurbitulis valide trahentibus, uſtiones cauteriis actualibus prudenter in uſum vocandæ, ſi locus neque nervoſus, neque muſculoſus eſt. Vere *Dioſcorides*: *Contra virulentos ictus*, ait, *uſtio expeditiſſimum eſt auxilium, utpote cum ignis cætera viribus præſtet, quod virus domet & ferri penitius non patiatur; ſimul quod pars ignem experta poſtea non vulgare fundamentum curationi futuræ præbeat, manente diutius exulceratione. l. c. C. 38.* Et celeb. *Borrichius*: *In univerſum*, inquit, *omnes venenatorum animalium ictus ſanantur ferro candente, antequam ſerpſerit malum, vel applicito, vel ita ſupra ſuſpenſo ut plaga ſentiat validum fervoris impetum, quo facto particulæ veneni ſpiculis ſuis exuuntur & lædere deſinunt. de Vſu Plantar. Indigen, p. 70.* Et profundius quidem, non nimis leviter & ſuperficialiter, partem inurendam eſſe monet *Hildanus*, *C. I. Obſ. 87.* cum extremus morbus extremum requirat remedium. Imponenda etiam cataplaſmata ex ruta, ſcordio, allio, ſem. ſinapi, radic. gentian. cepis ſub cineribus coctis, fermento piſtorio &c. atque omni modo eo annitendum, ut vulnus ſervetur apertum inſtar fonticuli, ope digeſtivi convenientis, aut etiam, ſi exiguum, aut anguſtius fuerit, dilatetur, & ſi citius claudatur, aperiatur, ac quotidie aceto & muria eluatur ac foveatur, idque ad minimum ad quadrageſimum usque diem, imo ad ſextum menſem. Veteres non ſine fructu animalia diſciſſa & calida protinus ſuper vulnus imponebant, quæ non tam venenum extrahebant, quam blando fotu & emollitione conſtrictionem ſpaſmodicam partis arcebant, & ita excretionem per vulnus expeditiorem & faciliorem reddebant. Præterea æger per aliquod tempus quotidie, mane ieiunus, aſ-

ſum-

ſumto aceto rutaceo, theriacali, vel aqua apoplectica amara, aut aceto bezoardico *Ludovici*, ſubinde etiam infuſo Thee aut herbarum alexipharmacarum, ſcordii, ſalviæ, rutæ, baccar iuniperi, cort. citr. aurant, parum ſudet, confer. *Excell. Frid. Hoffmannus, Medic. Rational. Syſtem. Tom. II. p. 194.*

§. XLI. Pro ſcopo ſecundo & tertio obtinendo, alexipharmaca & quidem fixiora, qualia ſunt pulveres bezoardici, Pannonicus ruber, cinnabarina, nitrata cum pauxillo camphoræ, diaſcord. Fracaſt, confect. de hyacinth. confect. alkerm. incompl. nec non ſal. vol. ſuccin. viperar. aliaque theriacalia, tinctura bezoard. Michael. mixtur. ſimpl. conducunt, cavendo ab omnibus calidioribus & volatilioribus, rarefacientibus, expanſivis. Balnea convenientia calida & frigida multum hic proſunt, itemque frequens oris collutio. Neque fructu ſuo hic deſtituitur immerſio repentina, inopinata, improviſa, ſæpius repetita in mare vel fluvium, ſi cætera fuerint paria, & ſi fiat in principio. Quamvis enim non deſint, qui hoc remedii genus vanum & contra rationem æque ac experientiam, ipſoque morbo gravius pronuncient: cum periculoſiſſimum ſit, facile ſtrangulet & mortem acceleret. vid. *Codronchius L. II. c. 8. & 10. Aromatarius P. V. c. 3.* Licet etiam plures obſervationes adduci poſſent, ubi felici effectu caruit: attamen cum tot iam ſeculis doctiorum meruerit aſſenſum, ut non tantum *Apollonius Thyaneus, v. Philoſtrat. in Vita Apoll. L. VI. c. 18.* ſed etiam *Aëtius*, itemque *Celſus L. V. c. 27.* aliique ex veteribus & recentioribus haud pauci illud commendaverint, plurimæque obſervationes illius felicem uſum confirment, vid. *Foreſtus, Tulpius, ll. cc. Collection. Wratislavienſ. Anno 1717. Menſ. Auguſt. p. 170. ſeq.* neque etiam ratio deficiat; cum animi illa commotione & pavore, conſpirante idea materiali adſtrictoque toto genere nervoſo, hoc ipſum confortetur

Pro ſecundo & tertio indicat. quid faciendum.

De immerſione repentina & inopinata in aquam quid ſentiendum?

tetur & a propensione ad disharmoniam revocetur, atque ita idea tum immaterialis sive mentalis, tum materialis perversa, aut ad perversitatem proxima, corrigatur ac deleatur, & aquæ refrigerio ac salsedine maris fibræ carneæ, membraneæ, nerveæ, & ex his compositæ partes intensiores factæ, atque corroboratus vitalis elater conterant, corrigant, excutiant atque protrudant quicquid a lege naturali in sanguine recedit, atque sanguinis & humorum naturalem mixtionem sic tueantur & conservent; non possumus sane laude sua illud privare, modo tempestive adhibeatur, antequam spasmi accedant aut in propinquo sint.

Ratione quartæ indicationis quænam remedia exhibenda?

§. XLII. Vt quartæ indicationi satisfiat, maxime commendant omnia medicamenta ex cancris parata, quos huius veneni Bezoar vocat *Guainerius, de venen. C. XII.* Ex his vero eligendos esse rotundos sive non caudatos, die Taschen-Krebse / quales in locis maritimis reperiuntur. Illos enim esse genuinos cancros ad morsum canis rabidi a veteribus commendatos ex *Bartholino, Cent. II. Hist. 89.* observat *Clar. Ettmüllerus, Colleg. Pract. Opp. T. II. p. 973.* quamvis & gammari seu astaci fluviatiles non plane sint reiiciendi, sed in defectu priorum commode usurpari possint. Inde paratur decoctum cancrorum, cineres cancrorum, de quibus cum *Galeno* plures affirmant, neminem ex morsis a cane rabido, cui cinis cancrorum ad ℥ij. circiter, ex vino quotidie, ad 40. dies, exhibitus fuerit, mortuum esse. Hinc pulveres in istis casibus sunt celebrati, ex cancris combustis, radice gentianæ, pimpinellæ, myrrha, olibano &c. vid. *Acta Haffniens. Vol. II. p. 276. Ettmüllerus l. c. Thom. Burnet. Thesaur. Med. Pract. L. III. Sect. VII. p. 214. Hildadanus C. I. Obs. 87.* Conducunt nempe hic etiam omnia alexipharmaca, rad. gentianæ, vincetoxici, contrayervæ, pimpinellæ, tormentillæ &c. herba rutæ, scordii, car-

dui


dui benedict. cardui Fullonum cum ſemine, ſalviæ, lichen. cinerei terreſtr. atque aliæ quæ pulverem adeo laudatum contra rabiem caninam *Palmarii* ingrediuntur, cuius deſcriptionem vid. tum apud ipſum Auctorem, *de morb. contagioſ.* tum apud *Ettmüllerum l. c. p. 972. & Burnetum l. c. p. 212.* His a prudenti Medico addi quoque poſſunt balſamica, myrrha ſcil. olibanum, ſuccinum, nec non terræ ſigillatæ, ſolutio ocul. cancr. theriacalia. Nec ſine fructu hic adhiberi poſſent Pilulæ ex extractis modo dictarum herbarum alexipharm. balſamicis convenientibus, theriacalibus paratæ: additis blande laxantibus, extr. Rhabarb. Aloes gummoſ. Iſtæ enim ſanguinis mixtionem & craſin tuentur ac blanda alvi laxatione & diaphoreſi æquabilem humorum diſtributionem promovent, partium robur, æquilibrium inter partes fluidas & ſolidas actionumque inde pendentem integritatem conſervant, & ad omnes præparationes, ſecretiones & excretiones iuſto modo perficiendas multum conferunt. Hæc licet ſua laude defraudari nequeant, optandum tamen eſſet, ut ſingularis huius veneni ſingulare antidotum, certum & uſu probatum inveniri nobis integrum eſſet. Laudibus quidem hic effertur *Alyſſum verum* Galeni: ſed qualis fuerit herba & num expectationi re vera ſatisfecerit, nondum expeditum eſt. Commendatur etiam tanquam euporiſton Oxalis ſive Acetoſa, linguam velut caninam referens, qua ſola ſenem quendam rabidum ſe curaſſe *Geſnerus* auctor eſt, *de Quadrup. L. I. p. 198.* ſi primo ulcus decocto illius foveatur, dein herba ipſa imponatur, & tandem interne in forma decocti exhibeatur. Sed licet haud contemnendam efficaciam eandem hic exſerere negari nequeat: omnem tamen rei menſuram ita explere illam poſſe, ut eidem ſoli fidendum ſit, nondum in aperto neque etiam ſatis probabile eſt. Quantum lapidibus ſerpen-

tinis magneticis, quos in capite quarundam ſerpentum, a Luſitanis *Cobras de Cabelo* dictarum, reperiri vulgo affirmant, tribuendum ſit, experientia Clar. *Franciſci Redi*, *Experim. circa res natur. p.m. 4. ſeqq.* docere nos poterit. Ex ipſo quidem animali rabido, quod læſit, deſumendum hic remedium plurimi putarunt, unde pilos canis rabidi vulneri imponi, ut venenum extrahant, ſanguinem eius pulveriſatum per triduum ad drachmam unam, nec non ſalem ex cane rabido extractum exhiberi, hepar ipſius coctum, itemque cor comedendum offerri iubent. Verum experientia non conſpirat, & quilibet ex ſupra dictis facile intelligit, quam periculoſæ aleæ res ſit, hæc contra rationem in demorſis tentare.

Si hydrophobiæ indicia adſint, qualia remedia adhibenda.

§. XLIII. Vbi hydrophobiæ indicia, triſtitia, melancholia, vertigo iam ſe prodiderint, helleborum album, iuſta doſi exhibitum admirandos effectus præſtare veteres tradiderunt. Verum licet in melancholia & inſania curanda huius radicis, ſi prudenter in uſum vocetur, vires non contemnendæ ſint: num tamen hic cum fructu adhiberi poſſit, non ſine ratione cum Cel. *Liſtero* dubito. Quin alexipharmacis, pulveribus bezoardicis cum nitro & ſalibus digeſtivis inſiſtendum: & ſi ad intenſiorem gradum malum proceſſerit, morbum ut inflammatorium tractandum recte exiſtimant artis periti, exhibitis diluentibus ac diſcutientibus, Antimonio diaphoret. nitratis ac camphoratis, iniectis Clyſteribus ex aqua nitroſa, ſalſa, cum pauxillo aceti, & quidem repetitis vicibus. Addunt quidem, ſæpius, quam in aliis morbis prudentia concederet, iterandos eſſe hos Clyſteres, inſtituendam etiam Venæſectionem largam ad animi usque deliquium. At vero cum in eiusmodi malignitate contraindicantia plerumque non deſint, prudentiæ rationalis Medici id relinquendum erit. Interea victus ratio a primo morbi ingreſſu debet eſſe humectans, tenuis, laxans. Cavenda ſunt omnia calefacientia, rarefacientia, nec non motus immoderati corporis, affectus & exagitationes vehementiores mentis. Sed hæc, pro inſtituti ratione, ſufficiant.

INDEX



INDEX
RERUM PRAECIPUARUM.

Littera n. paginarum numeris adposita notas denotat paginis subiectas.

B.

Bruta

D.

Gravi-

Idioſyn-

L.

M.

N.

Senfa-

T.

FINIS.

ADDENDA ET EMENDANDA.

PAg. 249. lin. 6. poſt verbum contribuere, adde: haud ſecus ac ulcus faucium in muliere, apud *Hildanum*, *Cent. I. Obſ. XXXVII.* appetitum depravatum & Picam produxit.

Pag. 182. l. 14. pro verbis: *in allegat. mod. tract.* l. *de ſcypho vitreo per certum humanæ vocis ſonum fracto.* Reliqua errata typographica, ut quando p. 80. l. 19. pro *inſedat* legendum *inſidebat*. p. 123. lin. 24. pro *ſuperfacuum*, *ſupervacuum*. p. 128. lin. 14. pro *debere*, *deberi*. p. 187. pro *reddida*, *reddita*; ſimiliaque alia Benevolus Lector, pro candore ſuo, facillime emendabit.